DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ANCYLOSEOS PATHOLOGIA ET CURATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

ADRIANI KLUIT,

ANTIQUITATUM, HISTORIAE, INPRIMIS DIPLOMATICAE FOEDERATI BELGII, PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, & *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis rite & legitime consequendis,

Publico examini submittit

JACOBUS THIENSIUS VAN DE WYNPERSSE,

GRONINGANUS.

Ad diem XXIV. *Septembris*, CIↃCCLXXXIII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD JACOBUM MEERBURG.

MDCCLXXXIII.

VIRO CLARISSIMO

DIONYSIO VAN DE WYNPERSSE,

A. L. M. SS. THEOL. ET PHILOS. DOCT.
PHIL. MATH. ET ASTRON. PROF. P. O.

PARENTI

OPTIME DE SE MERITO,

PUBLICUM HOC LABORUM SUORUM

SPECIMEN,

OMNI, QUA DECET, VENERATIONE,

AUCTOR

DEDICAT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

ANCYLOSEOS PATHOLOGIA ET CURATIONE.

INTRODUCTIO.

Examinatis alibi (*a*), quae ad theoreticam Ancyloseos pertinent historiam; nunc, pro inaugurali Disputatione, ea, quae ad practicam diri istius vitii pertractationem pertinent, Caussas nempe, Symptomata, Diagnosin & Prognosin, nec non Curam, sequentibus quatuor Capitibus persequi mihi animus est.

CAPUT I.

DE ANCYLOSEOS CAUSSIS.

§. I.

Omnis morbus suas habet, quarum vi existit, caussas. Ita omne illud, cujus vi existit praeternaturalis Articulorum obrigescentia, pro caussa Ancyloseos habendum esse, inficias iverit nemo (*b*).

§. II.

(*a*) In Dissertatione *de Ancylosi*, quam, Praeside clar. G. van Doeveren, a. d. IX. April. 1783. in nostra Academia, publice defendi.

(*b*) Vid. Gaubii *Inst. Pathol. Med.* §. 54.

§. II.

Has Ancyloseos Caussas dispesco in *Remotas* sive eas, quae singulae quidem aliquid ad morbum conferunt, non tamen, nisi conjunctae, eundem efficiunt; & *Proximam*, ex concursu Remotarum natam, qua itaque posita necessario consequitur ponitur que Ancyloseos morbus, qua sublata hic tollitur (*c*).

§. III.

De istis ut recte agatur, generalia quaedam de cohaesione notanda veniunt. Corpus nostrum constat ex partibus solidis sive firmis, & fluidis. In fluidis, sive humoribus, aqua praecipue, fluiditatis principium, abundat. Sed ipsae quoque firmae non elementis salino tantum phlogistico & terreo, quorum terreum primaria est firmitatis basis, constant; verum haec ipsa per intermistam aquam ita debite temperantur, ut justa inde producatur cohaerentia. Si jam unum alterumve, aut firmitatis aut fluiditatis, principium excedat, aut deficiat, oritur vitium in cohaesione. Si aquosum elementum luxurietur, cohaesio minuitur & debilitas nascitur; si minuatur, augetur cohaesio & rigiditas nascitur, major quidem pro majori elementi terrestris proportione (*d*). Si talis rigiditas in partibus ad motum articuli pertinentibus locum habeat, hæ minus flexiles mo-

(*c*) Vid *Ibid.* §. 60.
(*d*) Vid. *Ibid.* §. 130. *seqq.*

motui non ſatis obtemperant, & oritur immobilitas, pro diverſo rigiditatis gradu major minorve. Quin, ſi vehemens fuerit, ipſa ligamenta caeteraeque partes indurantur, oſſeſcunt, & linimentum Haverſianum, glutinis vices agens, oſſa jungit; quae ita concreſcunt, ut nullâ arte in poſterum ſeparari ſe patiantur: immo ipſa axungia oſſeſcit, & aliquando quaſi lapideſcit.

Aucta proinde cohaeſio teterrimi illius vitii proximam conſtituit cauſſam, ſive ipſam Ancyloſin proxime efficit: quam vero cauſſam proximam ex variarum remotarum ſerie conflari, e dictis conſtat, de quibus ergo ſingulatim videbimus.

§. IV.

Cauſſae *Remotae* hujus, ut aliorum morborum, vel *Proëgumenarum*, vel *Procatarcticarum* nomine veniunt.

Videamus jam de poſterioribus, quae cauſarum quoque *Occaſionalium*, ſed alibi *Potentiarum nocentium*, titulo inſigniit ſummus inter recentiores Pathologos GAUBIUS (*e*). Has commoditatis ergo in *Communes* & *Topicas* diſpeſco.

§. V.

Cauſſas Procatarcticas communes dico, quae, omnibus vulgo hominibus competentes, in corpore tamen ad ancyloſin ſingulariter diſpoſito triſtem hunc effectum excitant. Quo faciunt

Res

(*e*) *Ibid.* §. 59, 76.

Res non naturales; et quidem

1°. *Aër frigidus*, qui corpora denſat, fluida compingit, ſolida rigidiora & magis elaſtica reddit, motus fluidorum inteſtinos minuit, ſuſpendit; hinc arctantur canales, contentis ſpatium minuitur, augetur reſiſtentia, humores coguntur, inertes, immeabiles, in ſtaſes redduntur proni; in robuſtis exercitatisque mutua inter ſolida & fluida actio, attritus, calor internus augetur, circuitus, coctio, attenuatio, diſſipatio intenditur; debilibus autem & otioſis ob conſtricta vaſa & humorum lentorem imminuitur circulatio, decreſcit calor nativus, vis vitalis, omnes functiones torpent, &, ſuppreſſis evacuationibus, non defaecantur humores, unde acre, mucus, aqua augetur, & hinc varii naſcuntur morbi articulares. Conf. GAUBIUS (*f*).

2°. *Subita nimis atmosphaerae mutatio*, calidae in frigidiorem, aut viciſſim, frequens prae reliquis diriſſimae hujus calamitatis mater eſt. Ubi humores & partes C. H. ſolidae, frigidiori aëri aſſueta, calori ſubito exponuntur, corrumpuntur, & gangraena ſphacelusque in iis naſcitur. Ubi contra, calidiori atmosphaerae aſſueta, momento ſubinde citius frigore corripiuntur, inſpiſſantur humores, contrahuntur, conſtringuntur ſolida illos vehentia, unde aequabilis ceſſat humorum motus & circulatio, hinc obſtructiones, inflammationes & multifariae earum ſequelae enaſcuntur. Hinc intelligitur, quare omnis ſubitanea tempeſtatis & climatis mutatio ſit periculoſa.

3°. *In-*

(*f*) l. c. §. 426, 427.

3°. *Ingesta, in quibus principium terreum abundat.* Haec enim, ni motu animali vincantur, primas vias onerant, difficulter digeruntur, alvum constipant, auctaque in nostris humoribus per chylum nimis terreum terrae quantitate, partibus fluidis, hinc necessario etiam solidis, cohaesionem augent, quietem, inertiam, spissitudinem, rigiditatem, concretiones varias, obstructiones, & hinc innumera mala, totidem Ancyloseos caussas, producunt. Conf. GAUBIUS (g). Nocent inprimis autem stimulantia: quia, aucto circuitu, subtiliores nostrorum humorum partes dissipant, obstructionesque creant. Hoc itaque nomine spirituosorum, aromaticorum, condimentorumque abusus Ancylosi favet. Haec ratio, cur ebriosi ante senium senescant.

4°. *Nimium Veneris exercitium* multum huc facere, vel dubitaverit nemo, qui perspiciat, hinc tenuiores humorum particulas, ipsosque spiritus, difflari, remanentibus crassioribus. Semen praeterea est liquor balsamicus admodum, quo itaque exhausto, humorum acrimonia non satis involuta extricatur, per totum corpus diffunditur, adeoque & articulos afficit : ne quid dicam de musculorum inertia & atonia, quam nimiae excretiones seminis inducunt, cum omnium motuum languore.

5°. *Vitae genus lautum, otiosum.* Hoc enim oleum atque mucosum & glutinosum in humoribus augetur, unde oriuntur viscidita- tes, infarctiones, obstructiones, rancores, variae acritates; hinc et

(g) Ibid. §. 472.

et constrictiones, spasmi, vel e contrario torpor & inertia, variae concretiones, quae omnia huc conferunt. Hisce solidorum actio minuitur, motus adeoque humorum retardatur, calor internus minuitur, circulatio, secretiones non rite procedunt, crasis humorum vitiatur, elementa secedunt, tenuior pars per vasa propellitur, crassior stagnat, unde errores loci, nutrimenti, obstructiones, variae iterum acrimoniae, inflammationes, Ancylosi faventes, enascuntur. Graphice, pro more suo, hujus vitae generis effectus recensuit GAUBIUS (*h*).

Huc etiam referri potest musculorum & ligamentorum membri cujusdam quies: quae caussa est, quod in infantibus variolosis, quibus manus ligatae diu manent, ut intervertatur scalpendi facultas, subinde Ancylosis in cubito enasci deprehensa fuerit.

6°. *Vita laboriosa nimisve exercitata* haud minus favet Ancylosi, quia humores attenuat, rarefacit, actionem solidorum in fluida auget, unde horum pars tenuior dissipatur, spissior remanet, stagnat; quae, ut ante jam patuit, maxime huc faciunt. Nocet et hoc vitae genus vel exinde, quod homines labori assueti saepe corpus calidum frigori subito exponant, unde rheumatismum contrahunt, de quo postea. „ *Musculis nimis exercitatis, eveniunt lassitudo, debilitas, tremor, dolor, spasmus, impotentia ad motum*, monente Pathologorum principe (*i*). Hinc ante aetatem senium provocatur, aucta quippe solidorum rigiditate.

7°. *Opi-*

(*h*) Vid. Ibid. §. 513.

(*i*) Vid. GAUBII *Inst. Pathol. Med.* §. 512.

7°. *Opificia.* Opifices enim diverſi, ut reliquis, ita et huic morbo haud raro patent: metallici imprimis, qui genubus ſaxo innixi laborant (*k*); tum omnes illi, qui ex aëre calidiori mox in frigidiorem ſe conferunt, v. g. pharmacopoei, piſtores, fabri ferrarii, immunes ab Ancyloſi non ſunt habendi; ita et bajuli gravia pondera portantes humeris, ſcalas altas & gradus ſaepe onerati adſcendentes, & ſimiles alii, quorum haud rarus morbus eſſe obſervatur fractura Patellae (*l*), ex qua quam facillime oriri poſſit Ancyloſeos cauſa, non eſt quod multis adſtruam. Ab onerum geſtatorum preſſione quid ſimile iidem experiantur, poſthac videbimus. Eidem vitio obnoxii ſunt ſartores, ſutores, omnesque, verbo, artifices, qui eodem ſemper membrorum in ſitu opus faciunt. Hinc et homines litteratos, helluones librorum, ſtudiis, nullo intermixto corporis motu, nullaque animi relaxatione, inhaerentes, chartas noctes diesque volutantes, eidem eſſe obnoxios, tum ob perſpirationem ſuppreſſam, tum ob motum corporis minorem, conferendo jam dicta cum iis, quae adhuc dicenda habeo, facile eluceſcit.

8°. *Perverſa medicatio*, ut in aliis, ita et hoc in morbo triſtiſſimam mali relinquit *ἀνάμνησιν*. Si e. g. debili leviter membro applicentur nimia copia nimisque diu ſpirituoſa, acidæ, terreſtria, reſorbentia, aromatica, adſtringentia, aliaque, vix ullum remanet dubium, quin, aliquamdiu protracta perverſa iſta medicatione, debilitati

(*k*) Vid. PLATNERI *Inſt. Chirurg. Rat.* §. 1215. *Nov. Edit.*
(*l*) Vid. *Clar.* CAMPERI *Diſſ. de Fract. Patellae Franeq.* 1754.

tati succeffura fit rigiditas, adeoque et ipfa tandem Ancylofis hinc nafcatur, vel ejus faltem diathefis. Haec quoque cauffa, cur ex cicatrice minus recte inducta toties oriatur Ancylofis. Indidem fit, ut reductam fracturam faepius excipiat Ancylofis; quia nempe, ubi deligatio fit, motus minus bene aut violenter nimis inftituitur, aut plane negligitur; unde ligamentorum diftractio, axungiae diffipatio, vel accumulatio, nimius attritus, inflammatio, aliaque oriuntur. Eadem ratione luxationes reductas immedicabilis non raro excipit Ancylofis.

9°. Ut perverfa, ita et *neglecta* plane *Medicatio* ut plurimum nocet. Ubi e. g. in inflammatione, vulneribus, rhachitide, luxatione (*m*), fractura, inprimis prope articulum, medicatio negligitur, non poffunt non ferius ocyus diriffima hinc mala, motum articulorum turbantia, produci.

§. VI.

Cauffas Procatarcticas Topicas voco, quae in fingulares quasdam corporis partes directe vi fua nociva operantur: quo referendae videntur,

I°. *Vis diftrahens.* Saepe fit, ut quaedam H. C. pars, quacunque demum de cauffa, valide diftrahatur, aut nimis extendatur. Dum jam omnem canalium diftractionem fequitur capacitatis imminutio,

(*m*) Conf. *Act. Phyf. Med. Vol.* VII. *Obferv.* 40. *pag.* 108.

nutio, mirum non eſt, hinc oriri obſtructionem, ſuo titulo ad cauſas proëgumenas noſtri mali referendam. Molliores praeterea partes rumpuntur, aut tonum amittunt, unde oriuntur humorum effuſiones, & muſculi ligamentaque ſuis muniis obeundis non ſunt, contrahi rite negant, & proinde diſtracto articulo, aut diſtractis muſculis eum regentibus, motus deſtruitur. Patet adeoque ex dictis, quantum errent illi, qui articulorum rigidorum incurvationem valida diſtractione corrigere tentent.

II. *Vis Comprimens*; quorſum contuſionem, ictum, lapſum refero. Quum etenim pars quaepiam valide comprimitur, compreſſis nervis perit motus muſculorum ligamentorumque, & pars tonum amittit; compreſſis vero vaſis ſecretio & reſorptio minuitur. Per compreſſionem praeterea oſſium apophyſes & epiphyſes inſigniter lateſcunt & expanduntur; quod facilius in juniore aetate, oſſa habente molliora, fieri deprehenditur. Et talem quidem expanduntur in modum, ut axungiam e cavo, quod occupat, expellant, ipſius cavi latera atterant, partesque vicinas valde diſtrahant. Unde varia ratione vis comprimens producendae Ancyloſi apta eſt: quo nomine & claudicationes huc facere, videbimus. Intelligitur hinc, quare Ancyloſin ſpinae patiantur quam maxime bajuli: onere etenim deorſum premuntur nonnulla vertebrarum corpora, vel ſpinae, ſibique invicem, ut et proceſſus laterales, apprimuntur, detritoque vel depravato perioſteo ex oſſibus exſudat lympha nutriens, glutinoſa; exprimitur majori copia linimentum Haverſianum; per novos, qui enaſcuntur, fibrarum ordines rigeſcunt ligamenta,

 dum

dum eodem in statu remanent vertebrae & successive concrescunt (*n*). Hic porro de vi contundente agendi locus esset, nisi infra de ipso contusionis effectu paullo prolixius verba facere constituissem.

III. *Vis Contorquens.* Omnibus articulis determinati competunt motus; ita Enarthrosi & Arthrodiae motus rotatorius, extensorius tantum Ginglymo competit & flexorius (*o*). Si jam in Ginglymo motus rotatorius tentetur, non moleste affici nequeunt distrahique partes vicinae, quae tonum amittunt, vel disrumpuntur, dum tenuior linimenti articularis pars dissipatur; quae omnia totidem constituunt affectiones, producendae Ancylosi aptissimas. Mirandum proinde, quod in infantibus, inter se mutuo ludentibus aut conflictantibus, hac de caussa productam Ancylosin non saepius deprehendamus.

IV. *Vis urens, rodens, item scindens*, huc referendae videntur: quoniam hae vires ossium deradunt superficies, continuique solutionem efficiunt; unde laeduntur vasa, scinduntur que aut moleste saltem afficiuntur nervi & vellicantur. Hinc paralysis enascitur, aut dolent vicinae partes, laeduntur, convelluntur; sicque enascitur Ancylosis: aut ipsa disrumpuntur ligamenta, quam rupturam synoviae effusio sequitur, & articulus moveri negat. Nocent praeterea vel et hinc, quod varias producunt ossium excrescentias, quae inter conjuncta ossa procrescunt, eademque conferruminant; vel et callosam

(*n*) Vid. *Act. Phys. Med. Vol.* VIII. *obs.* 124. *pag.* 452. *seqq.*
(*o*) Vid. *Diss. Acad. mea de Ancylosi* §. IV. *pag.* 5. *seq.*

ſam producunt materiem, eidem pariter vitio producendo idoneam (*p*).

Omnes praeterea memoratae cauſſae hoc habent commune, quod dolores, fracturas, luxationes, inflammationes, vulnera aliaque infinita, infra cauſſis annumeranda, producant, aut producere ſaltem poſſint, mala.

§. VII.

Tranſeo ad Cauſſas *Proëgumenas*, ſive Praedisponentes, quae clar. GAUBIO (*q*) *Seminia* dicuntur. Sin vero *ſeminium* dicere velis omnem ejusmodi in corpore diatheſin, quae vergat facile in morbum, nondum vero morbi plene formati habeat malitiam, cauſſas ancyloſeos proëgumenas diſtinguere apte poterimus in *Seminia Naturalia*, *Seminia Praeternaturalia*, & *Conditiones* vere *morboſas*.

§. VIII.

Ad *Seminia Naturalia* an ipſam referemus C. H. naturam, talem quippe, qua Ancyloſeos ſimus capaces, & ſine qua articulorum nulla obrigeſcentia dari poſſet? Ita quadantenus per naturam huc apti & diſpoſiti dici poſſemus, & ſeminium omnibus commune foret. Attamen ita unice conditio hujus morbi capax habetur, ſed quae contrarii etiam vitii, nimiae laxitatis, nos aeque capaces reddit; & perfecta corporis ſanitas mediocritate admirabili, ut omnis vir-

(*p*) Vid. TRIOEN *Obſ. Med. Chir. faſcic. pag.* 130. *ſeq. Conf. Tab.* II, 12.
(*q*) In *Inſt. Pathol. Med.* §. 75. *coll.* 606 — 622.

virtus in vitiorum quasi medio consistit, utitur & gaudet. Naturale ergo seminium certi alicujus morbi *commune* admitti nequit; dantur tamen *propria*, per quae alii aliis naturaliter magis in hunc morbum proclives sunt.

§. IX.

Quod ad naturalia ejusmodi seminia pertineat

I. *Sexus virilis*, haud mirum est: in quo quippe corpus firmius est, solida rigidiora, strictiora, fluida densiora, quae singula huic morbo favent.

II. *Temperamentum melancholicum:* in quo principium terreum abundat, unde turbantur facile secretiones & excretiones, inprimis linimenti articularis; & in quo obstructiones, concretiones omnium frequentissime deprehenduntur.

III. *AEtas senilis.* In hac etenim pereunt vasa & oblitterantur, solidorum quantitas augetur, fluidorum minuitur, impeditur respiratio, pulmones sanguinem transmittere, ut quondam, negant; hinc impeditur circulatio, oriuntur ecchymoses, stagnationes, obstructiones in vasis; hinc nec secretiones rite procedunt, contenta cum vasis concrescunt, inspissatur smegma articulare, ab impedita diluentis vehiculi secretione, dum nihilo minus caussa dissipans agere pergit; rigescunt ligamenta, rigescunt musculi eadem de caussa; concrescit porro synovia cum articulo ipso, quo continetur, in cartilaginem vel os indurescit; sicque Ancylosi spuriae vera super-

ve-

venit. Eleganter proinde & graphice GAUBIUS (r) „ *In corpore senili*, inquit, *solida siccescunt, tubuli concallent, nervi marcent, vis vitae ac movendi sentiendique facultas elanguescit, circulatio torpet, calor nativus defervet, excretiones tardescunt, humores mucosa, salina, terrea faece impuri, subtilioris materiae defectu vappidi, vitiantur*". Legi hac de re omnino meretur venerandi senis, clar. J. OOSTERDYKII SCHACHT, quo Praeceptore aestumatissimo & studiorum in Trajectina Academia duce usum fuisse honori mihi duco, Oratio de *Fato senili inevitabili*.

§. X.

Dum *Seminia Naturalia* ancyloseos nobis erant, quae ipsa natura humana, etiam optime sana, sponte habentur; secundo nunc *Praeternaturalia* erunt appellanda, quae, licet necdum morbum plene formatum sui nominis exhibeant, a sana tamen ipsius naturae conditione & operatione jam deflectant. Huc pertinet

I. *Corpus debile*: tale videlicet, ubi fluida N. C. excedunt, adeo ut cohaesio justo minor sit. Haec obrigescentiae seminium, ut ut prima fronte contraria videatur, constituit: quoniam debiles musculi & ligamenta minima de caussa male se habent, a stimulis vel solitis, vel solito vix majoribus in enormes cientur motus, spasmodice afficiuntur; aut a motu vel tantillo majori fluida errores

(r) In *Inst. Pathol. Med.* §. 857.

res loci patiuntur, eorumque sequelas, solida etiam distrahuntur; quae omnia totidem titulis Ancylosi favent.

II. *Vitia Linimenti* varia, quae commode recensemus sequentia.

1°. *Ubi Deficit.* Axungiae hujus defectum huc facere, patet, si ad usum ipsius in sanitate attendamus. Eum etenim in finem secernitur, ut facilius ossa ad se invicem moveantur, nec nimium in articulis patiantur attritum. Si jam deficiat ille latex, difficulter moventur ossa, eorumque superficies multum deteruntur, adeoque, nullo corpore intermedio, alterius ossis cum alterius substantia sensim confluit, & hinc utraque enascitur obrigescentiae species, tum spuria, tum vera. Multum praeterea, ob notabilem, quae excitat, inflammationem doloremque, hic defectus nocet.

Aliquando tamen provida Natura hunc defectum supplet ossium extrema, crusta cartilaginea jam privata, adeo expoliendo, ut lubrice satis supra se invicem prolabantur, adeoque pro tempore saltem Ancylosin praecavet; quod e variis, tum in Clar. PROMOTORIS, tum mea collectione, ossibus morbosis mihi constat.

2°. *Quando nimias continet particulas serosas*, etiam producendae Ancylosi favet: siquidem resolvuntur linimenti partes, adeoque effusiones, hydropes articulorum producuntur; unde vicinae partes extenduntur, ligamenta musculique flaccescunt, debilitantur, & ad motum redduntur inhabiles. Serum praeterea acre redditum periosteum, ligamenta, tendines, musculos, partes internas articulis nonnullis proprias, verbo, omnes partes vicinas irritat,

pun-

pungit, corrodit, inflammationes, ulcera aliasque infra memorandas Ancylofeos cauffas producit.

3°. *Muci inertis quandoque obruitur copia.* Hic mucus motui nocet quam maxime, tum, quia orificia, vel ductulos folliculorum arteriolarumque obftruit, fecretionemque linimenti boni impedit; inprimis autem venularum reforbentium obturat ofcula, ficque linimenti impedit abforptionem, ftagnationemque producit; tum et, quia brevi vel exficcatur, ac impedimento eft, & quafi glutinis agit vices, vel corrumpitur, fuaque labe vicinas partes inficit.

4°. *Nimias aliquando continet partes glutinofas*, quo fit, ut nimis infpiffetur, ut reforptio, faltem partis craffioris, impediatur; unde gluten augetur & colligitur in cavo articuli, quod tenaci fpiffitudine motum impedit, vel offa conferruminat, vel denique ftagnatione acrimoniam contrahit, partesque vicinas inficit, vel deftruit.

5°. *Oleum*, huic linimento conftituendo dicatum, vel *imminuitur*, *vel* plane *deficit*, ficque ejus crafis folvitur, ftagnat pars craffior, diffipatur tenuior; adeoque, quod ex iis, quae dicenda adhuc fuperfunt, clarius patebit, motus vel imminuitur, vel plane tollitur.

6°. Vel Axungia *cum alio fucco mifcetur*: qui, fi acris fuerit, ligamenta, cartilagines, offa, verbo, omnes partes articulum conftituentes, corrodet; fi blandus, nimia faltem accumulatione nocebit, axungiam diluet, ligamenta laxabit, vel et arteriolas, maxime venas reforbentes, intrabit, eas obftruet, ficque fupervacui humoris reforptionem impediet.

Multo

7°. Multo magis noxium est, si *Corpora heterogenea* alia *contineat*, qualia sunt materies calcarea, cretacea, cartilaginea, tophacea, calculi: quae tunc vel rodendo, vel comprimendo, vel irritando, aut alio quocunque modo Ancylosin dispositis satis facile conciliabunt.

8°. *Ubi stagnat* illud linimentum, ibi solvitur crasis ejus, pars tenuior collecta hydropem facit; vel crassior motum impedit; quin ossa conglutinat; duratur in tendineam, cartilagineam, imo osseam substantiam; unde impeditur motus, augetur attritus: vel et stagnans acrimoniam contrahit, unde ligamenta capsulaeque corroduntur, adeoque imminuitur motus; hinc luxationes, rhachitides, abscessus, dolores, ulcera, fungositates, producuntur, ossa carie comeduntur, fragilia redduntur, adeoque facile franguntur, item porosa & aspera redduntur, dum variis excrescentiis tuberculisque, a spina ventosa, a carie oriundis, obsidentur. Quae omnia, utpote totidem Ancyloseos caussae, in posterum erunt memoranda.

9°. *Nimia* tandem aliquando *copia secernitur, vel non rite resorbetur*. Inde accumulatur, articulo sua quantitate oneri est; ligamenta capsulaeque praeternaturaliter distenduntur, in partes vicinas articuli agunt, imo et tenuior pars dissipatur, retinetur crassior; tonum ligamenta amittunt, unde usus eorum impeditur, luxationes oriuntur; suove tandem glutine linimentum ossa conglutinat, sicque motus articuli plenarie destruitur.

III. *Corpora* etiam *cartilaginea*, *ossea*, *calculosa*, vel quaelibet *heterogenea*, *intra articulos delitescentia*, non omittenda viden-

dentur; quorum priora paſſim memorata leguntur. Ita HENKELIUS (s), refert a ſe obſervatum corpus cartilagineum ferme, intra articulum poplitis deliteſcens, ½ pollicem craſſum, & 1 pollicem latum, mobile, atque ad 4 pollicum ſpatium ſub muſculos femoris aliquando adſcendens &, ubi ſub patella movebatur, motum impediens. Oſſiculum etiam liberum, nucem avellanam aequans, in eodem articulo memorat J. A. H. REIMARUS (t): qui et varia a ſe aliisque obſervata hujus mali exempla refert (u); nec in ullo alio articulo hujus exempla memorata novit. Clar. Promotor VAN DOEVEREN etiam, penes Senatorem Groninganum, tale corpus in eodem articulo deprehendit; eidemque ſimile vitium in viro laborante hydarthro, inde forſan nato, obſervare nuperrime licuit. De calculis articulorum varia etiam obſervata leguntur. Varios in primis, ex genu foeminae a Chirurgo W. à BOURGOGNIE extractos, vidit C. STALPART VAN DER WIEL (v); memoranturque tales a SCHENKIO (w). Quae corpora tum ſua mole & continua lamellarum appoſitione directe motum impediunt, tum vaſa nervosque comprimendo, ligamenta vicinasque partes diſtrahendo, tum denique axungiae craſin vitiando, eamque exprimendo, ad Ancyloſin contribuunt.

IV. Huc

(s) *Dritte Sammlung ſeiner Mediciniſchen und Chirurgiſchen anmerckungen*, p. 7. *ſeq.*

(t) In *Diſſ. de Fungo Ligamentorum*, *Leid.* 1757. *pag.* 11.

(u) Vid. *pag.* 15, 30. *ſeqq.*

(v) Vid. *Obſ. Rar. Cent.* I. *Obſ.* 12. *in Schol. pag.* 61.

(w) In *Obſ. Med. Lib.* V. *de Genubus*, *Obſ.* 1. *de Calculo*, *pag.* 671. & *Lib.* V. *de Arthritide*, *Obſ.* 1. *de Calculo & Tartaro*, *pag.* 691.

IV. Huc etiam reduci merentur illi casus, in quibus *cartilaginum* extremarum *commissurae* in ipso articulo *tela* quasi *connectuntur*, qualis ab inflammatione in thorace & alibi nasci solet: unde nascitur Ancylosis; quae vi subito illata subinde tollitur. Ita J. A MEEK'REN (*x*) memorat, brachio hac de caussa rigido, irritis fotibus, cataplasmatibus, aliisque adhibitis remediis, lapsu motum usumque fuisse restitutum.

V. Nec omittendus *glandularum Cowperianarum tumor*, quae suam etiam ad dirum hoc mali genus confert symbolam. Tales enim tumores vel insigni sua mole motum mechanice impediunt; vel eundem morbum non nisi auctis demum attritu, ligamentorumque distensione, aliisque hinc enatis malis, sensim sensimque constituunt. De hoc tumore conf. Doct. REIMARUS (*y*).

VI. *Error nutrimenti.* Scilicet secundum leges, a Natura latas, quaelibet pars suum habet nutrimentum proprium, sua organa illud advehentia. Hinc est, quod tendini firmior, quam musculo; cartilagini firmior, quam tendini; ossi, quam cartilagini; denti, quam ossi, apponatur in nutritionis opere materia. Si jam, pro restitutione substantiae deperditae, loco linimenti in articulo secernatur alius humor, aut glutinosus, aut (si ita dicere liceat) cartilagineus osseusve; illa materies articuli motum non tantum impediet, sed & postea cum ossibus articulum constituentibus concrescet, articulum conglu-

(*x*) Vid. *Obs. Cap.* 64. *pag.* 297. *seqq.*
(*y*) In *diss. cit. pag.* 28. *seq.*

glutinabit, Ancylosin formabit. De errore nutrimenti pro more egregie GAUBIUS (z).

VII. *Unius lateris exsuperantia.* Sapiens enim rerum Conditor microcosmum humanum ita construxit, ut partes non tantum, quorum paria adsunt, sibi mutuo tum quoad volumen, tum quoad longitudinem, perfecte sint aequalia, nec unum membrum alterum superet; sed ut unius quoque & ejusdem partis latera sibi invicem quodammodo respondeant, Si vero ejusdem partis unum latus magis, quam oppositum, increscat, id, quod magis altero procrescit, cavo illius ossis, cum quo articulatur, valide apprimetur, illique cedere nescio ita accrescet, ut articuli obrigescentia inevitabilis sit. Illud praeterea latus synoviam oppositum versus propellet, ubi tunc accumulabitur, & Ancylosin faciet. Quod unum membrum, opposito magis increscens, huc quoque suam conferat symbolam, dein, ubi de claudicatione sermo erit, patebit.

VIII. *Labes hereditaria.* Si nempe vel alteruter, vel uterque parens, vel avus hoc vitio laborat, quidni et, aeque ac aliorum morborum, in sobolem propagare posset hujus quoque seminium, certo tempore, data occasione, in morbum, Ancylosin, erupturum? Confirmat hanc suspicionem dira Podagra toties hereditaria, eademque producendae Ancylosi aptissima: nec minus singularia nonnulla haud absimilium vitiorum hereditariorum exempla; quale solebat auditoribus narrare clar. GAUBIUS, in quo, certo aetatis tem-

(z) In *Inst. Pathol. Medic.* §. 404.

tempore, integrae familiae digitus minimus versus volam manus contrahebatur ob primae cum secunda phalange Ancylosin. Novit & Clar. PROMOTOR hominem, qui Ancylosi secundi digiti utriusque pedis laborat, idque vitium cum sua matre commune habet.

Immo subinde infans in utero vitium aliquod organicum contrahit, ad Ancylosin disponens, dataque occasione in Ancylosin erumpens. Huc v. g. referendum est vitium in cartilaginibus ossium jam pro parte, vel integre, confluentibus, aut nunquam forsan separatis; quale quid in exemplo alibi (*a*) a me ex Actis Parisinis allato adfuisse videtur. Huc etiam caries, debilitas, &c, congenitae pertinent.

IX. Obiter hic etiam memorare liceat *Vitium partu acquisitum*, fracturas, luxationes, distorsiones, convulsiones aliaque, de quibus, utpote conditionibus morbosis, ad Ancylosin disponentibus, singulatim postea agetur. Huc, vel ad prægressam etiam caussam, referri posse videtur, quam mihi nuperrime comparavi, costarum duarum sinistri lateris in puero Ancylosis inter capita & condylos, ubi nullum praegressae injuriae exstat vestigium.

§. XI.

Inter conditiones morbosas, sive ipsas functionum laesiones, ad Ancylosin disponentes, referri possunt

I. *Mu-*

(*a*) Vid. *Diss. de Ancylosi* §. XLIX. *pag.* 52.

I. *Musculorum Ligamentorumque vitia*, quorum ingens est catalogus. Primaria sunt:

1°. *Accurtatio*; quae caussa est, qua propius sibi mutuo applicantur ossa, unde minus axungiae conceditur spatium, & ossa majorem patiuntur attritum, immobilia redduntur, omnino coalescunt.

2°. *Nimia longitudo*; qua fit, ut flaccescant ligamenta quasi, atque ad motum solitum, multo magis adeoque ad majorem, luxationem patiantur ossa, quam inter ossium morbos Ancylosin producentes mox propius enarraturus sum.

3°. *Spasmus & convulsio*. Utrum spasmus musculorum ad Ancylosin quidquam faciat, & quantum, nemo dubitat. Illa v. c., quae in *Memoires de l'Acad. des Scienc.* (*b*) memoratur, Ancylosis per solum musculorum spasmum explicari potest. De motu autem convulsivo forsitan id non ita facile concedent nonnulli, largientes, in ipsa quidem violenta contractione impediri articuli motum; in intervallo autem inter paroxysmos motum expediri, & ad novum usque paroxysmum liberum manere. Hoc aliquando fieri posse, lubentissime fateor, attamen rarissimum esse. Convulsionem enim sequitur atonia; & plerumque aliquid superesse, quod motum impediat, novo iterum paroxysmo provocando idoneum, tantum non consitentur omnes. Motum adeoque convulsivum, aeque ac spasmum, praeternaturali articulorum obrigescentiae aptissimum esse, merito statuitur.

Pa-

(*b*) *Ann.* 1728. *pag.* 283. *seq.*

Pariter, Ligamenta violenter ſtimulata noſtro malo cauſſam dare poſſe, facile ſupponendum foret, niſi in hanc ſententiam tela vibrarent adverſarii. Prolabimur enim hic in celeberrimam, dexterrimos inter Phyſiologos agitatam controverſiam, an ligamentis ſentiendi facultas attribuenda, an vero deneganda ſit? Hanc ligamentis denegare non dubitarunt bene multi; in quibus (quod dolendum) agmen ducit, caeterum eximius Auctor, HALLERUS, qui varia circa hanc rem experimenta ſe inſtituiſſe, atque inde ſibi conſtitiſſe, nullam dari ligamentis ſentiendi vim, ſtrenue affirmat (*c*). Hanc tamen opinionem, (quam ipſi videntur ſatis refellere dolores acutiſſimi in arthriticis, podagricis, rheumaticis, aliisque articulorum morbis, quibusvis fere hominibus notis, atque ab ipſo SYDENHAMIO (*d*) & SWIETENIO (*e*), ipſoque meo Clar. Promotore, hiſce partibus merito adſcriptis,) apte ſatis & concinne experimenta refutarunt clar. KRAUSII (*f*), ROB. WHYTTII (*g*), aliorumque (*h*). Sed & compoſitae hujus litis & manifeſte demonſtratae tendinoſarum partium & ligamentorum ſenſilitatis laus attribuenda videtur celeberrimo

(*c*) Vid. *Op. Min. Tom.* I. *pag.* 330. *ſeqq.* & *pag.* 441. *ſeqq.* Conf. *Elem. Phyſiol. Tom.* IV. *pag.* 454.

(*d*) *De Podagra pag.* 547. Conf. *pag.* 548.

(*e*) *Comm. in Aph.* BOERHAVII §. 1259. *ſeq. pag.* 311, *ſeqq.*

(*f*) *Diſſert. de ſenſilibus C. H. partibus Lipſ. Ao.* 1765.

(*g*) Vid. *Phyſiological Eſſays.*

(*h*) De quibus conſuli poteſt egregia Doct. J. A. H. REIMARI *Diſſert. ſupra cit. pag.* 14. *ſeqq.*

rimo Promotori (*i*), quem eximium in Physiologicis aeque, ac Practicis, ducem mihi obtigisse, est quod gaudeam, qui multum huic liti lucis affudit, & agitatae tanti momenti quaestioni optatam (me judice) posuit metam. Quum jam, vim sentiendi quemdam stimulum ligamentis inesse, pateat abunde; haecce organa iisdem, quibus reliquae N. C. partes, quatenus omnes vi contractili quadam, vi vitali, sunt imbutae, similiter morbose irritata, constrictionibus morbosis esse obnoxia, nullus dubito.

Hi autem spasmi, & motus convulsivi, ni subito resolvantur, sive musculos, sive ligamenta, sive utraque occupent, membrum accurtant, incurvant, linimentum Haversii dissipant, adeoque motum vel impediunt, vel penitus tollunt.

4°. *Paralysis.* Hanc inter Ancyloseos caussas a me referri debere, nullus, credo, negaverit: siquidem constat, ubi musculi moleste afficiuntur, illos subinde plane quiescere, non contrahi, ad motus reddi ineptos. Quum jam praedispositioni ad Ancylosin accedat paralysis, obrigescit articulus, omnisque eï perit motus.

5°. *Rigiditas nimia* ad Ancylosin multum facit, nec mirum. Dictae etenim N. C. partes, ut suas rite peragant functiones, flexiles admodum & molles requiruntur, quae ambo requisita in rigidis absunt. Haec rigiditas a concretione ligamentorum cum vaginis tendineis non raro nascitur.

6°. *Debilitas*, (ad quem titulum etiam imbecillitas a morbo nata referri

(*i*) Conf. *Spec. Obs. Acad. Cap.* XIV.

referri poteſt,) huc pertinet: qua fit; ut in motu nimis, quam par eſt, cedant & diſtrahantur ligamenta & muſculi; unde, ſi non oſſa e ſuis elabantur acetabulis, motus ſaltem articulorum depravatur, & tollitur.

7°. *Durities*, quorſum chondrogeniam, oſteogeniam, aliasque ſpecies refero, huc etiam contribuit, ut ex dictis de rigiditate abunde liquet. Oſteogeniam Ancyloſeos cauſſam aliquando eſſe, e clavicula, quam poſſideo, per oſſificata & degenerata ligamenta eam cum ſcapula naturaliter nectentia, cum parte, ut ſaltem videtur, ſcapulae nexa, demonſtrare poſſum.

8°. *Tumor ligamentorum* multum nocet: tum, quod tumefacta, minusque longa, oſſa ſibi mutuo valide apprimant, & ad articuli debitum motum extendi non permittant; tum quod a nimia oſſium ad ſe invicem appreſſione, vel per ligamenta compreſſione, ſmegma articulare vel condenſetur, vel diſſipetur. Merito itaque fungoſum ligamentorum tumorem plerumque Ancyloſin comitari, ſtatuit J. A. H. Reimarus (*k*).

9°. *Ligamentorum muſculorumque disruptio* multum etiam ad provocandam obrigeſcentiam confert; ſi quidem praecipua motus ſunt inſtrumenta, & maxime quidem muſculi, quibus ergo disruptis motus neceſſario perit. Praeterea, his disruptis, inprimis ligamentis, luxatio producitur, quae motum ut plurimum, regularem utcunque, tollit. Disruptis denique etiam ligamentis armillaribus, mu-

(*k*) In *Diſſert. cit. pag.* 23. Conf. *pag.* 48. *in fine.*

musculi puncto fixo carent, ex quo operentur, adeoque et sic eatenus musculorum functio perit.

II. *Dolor* duplici quidem titulo huc facere videtur. Vel enim suo stimulo partes articulo vicinas irritat, & convulsiones, inflammationes earumque effecta producit; vel prae solo dolore articulorum motus impeditur quodammodo, aut tollitur, pro varia parte affecta, varioque sensilitatis in aegro gradu. Nec difficile foret exhibere, quomodo et huc facere possit *Pruritus:* qui omnino aliquid ad hanc immobilitatis speciem conferre potest; rarissime tamen nostrum morbum inducere videtur.

III. *Tumores* nocent, vel quod dolorem excitent; vel quod capsulas articulares comprimant, adeo ut tenuiores synoviae particulas dissipent, remanentibus crassioribus; vel quod, musculos nervosque comprimendo, paralysin inducant; aut vasa comprimendo secretionem, absorptionem, nutritionemque impediant; vel quod mechanice motum prohibeant, talique in loco ponantur, ut articulus moveri nequeat, v. g. intra articulum, ad poplitem, & alibi.

IV. *Obstructio* suam non raro nostro in morbo ludit tragoediam, & varia de caussa nocet: tum, quod ligamenta inepta reddat, nervos vasaque comprimat, & musculos paralyticos reddat; tum, quod dolorem, inflammationem, variasque ejus sequelas producat.

V. *Inflammatio* quoque his causis annumeranda videtur ob sequentes rationes: 1°. quia dolorifica est; 2°. quod, stagnante in vasculis articularibus humore, nil nisi tenuis materies secernatur,

parum vel nihil reſorbeatur, nutritio pereat, & hydrarthros formetur; 3°. quod tota illa materies, aut ſaltem pars axungiae tenuior diffletur, & craſſior ſola ſuperſit; vel 4°. quod contenta cum vaſis concreſcant; 5°. quod in ſuppurationem terminetur.

VI. *Nam & ipſa Suppuratio* ad Ancyloſin haud raro disponit, ſi quidem vaſa, nervos, & ligamenta ſubinde afficiat: tum, quod inter duplicem ligamentorum capſularium membranam, de qua conf. clar. Bonn (*l*), pus effuſum interiorem membranam in articuli cavum protrudit, adeoque neceſſario axungiam expellit, vel condenſat; tum denique, quod linimentum inſpiſſat, glutinisque vice fungens oſſa conferruminat.

VII. Nec excludenda cenſeo *Ulcera*: quae nocent, partim, quia acri, quem continent, latice oſſa articulosque, & vicinas eorum partes, corrumpunt; partim, quia vaſa, nervos, muſculos, ligamentaque afficiendo, convulſiones paralyſesque creant; partim, quod, effuſo intra cavum articuli acri humore, capſulas diſtendunt, quod quantum noceat, ubi de Ichore dicam, patebit; partim, quoniam non raro glandulas Cowperi indurant & ſcirrhoſas reddunt; partim, quod ipſas omnino deſtruunt, unde illarum uſus, ſmegmatis ſcilicet ſecretio, ceſſat; quod denique ſimilia vicinis partibus mala inducunt, vel eas deſtruunt. Huc referendum videtur exemplum Ancyloſeos cubiti inde natae, quod materia e parotide glandula

(*l*) In egregia *Comment. de Humero Luxato*, *pag*. 3. Conf. Diſſert. *de Continuationibus membranarum*, §. 29.

dula ſuppurata per collum & humerum deſcendens, & ad cubiti flexuram delata, ibi ligamenta corruperit (*m*).

VIII. *Scirrhus & cancer* huc etiam faciunt: 1°. ſiquidem articulares glandulas ſecretionis muniis reddunt ineptas; 2°. quoniam nervos, vaſa, muſculos, ligamenta comprimunt, vel diſtrahunt; vel mali ſui indole inficiunt; 3°. quod varias obſtructiones, nec raro atrophiam producunt; 4°. quia irritatione ſua dolores horumque ſymptomata excitant; 5°. denique mole ſua motum articuli immediate impediunt.

IX. Nec non *Gangraenam* huc referre auſim ſequentibus de cauſſis: 1°. quod partes molliores, tum oſſa ambientes, tum ad articulum tendentes, vaſa, nervos, muſculos, etiam glandulas & ligamenta, deſtruit; 2°, quoniam humores corrumpit.

X. *Sinus* pariter et *fiſtulae* non omittendae: quae dolores provocant; inſtrumenta ſenſus & motus invadunt aut deſtruunt; oſſibus cariem inducunt; materiem acrem in articuli cavum infundunt, ſua quantitate ligamenta diſtrahentem, parteſque articulum conſtituentes corrodentem.

XI. *Vulnus* quoque ad articulorum obrigeſcentiam diſponit. Vel enim inflammationem doloremque gignit; vel materiam acrem non raro continet, in muſculos non tantum, ſed et in partes vicinas, vaſa, nervoſque majores, glandulas, ligamenta, ipſa oſſa, pe-

(*m*) Vid. SWIETENII *Comm. ad Aphor.* BOERH. §. 406. *Tom.* I. *pag.* 705.

pestiferum emittentem virus, eademque rigefacientem, erodentem; vario modo corrum pentem; aut eadem laxantem, debilitantem, adeoque & ad rhachitidem disponentem; vel ex vulneribus fungi aliaeque excrescentiarum species nascuntur, motum impedientes; vel fasciae vulneribus circumdatae strictura motum & linimenti secretionem impediunt; aut tandem vulnera, enatis emphysematibus, Ancylosi favent. Inprimis autem huc faciunt vulnera venenata, arti toties indomabilem paralysin excitantia; nec non vulnera sclopeto illata, quae contusio insignis & fractura nonnunquam comitantur. Notabilem atlantis & epistrophes Ancylosin, a vulnere sclopetario relictaque glande plumbea ortam, adtuli in Dissertatione Academica (*n*).

XII. *Contusionem* minime excludendam esse, vel sponte oculos incurrit. Nocet tum contusio simplex, tum composita, tum ad ipsum articulum, tum in locis ab articulo remotis facta. *Simplex contusio* nocet, quod saepe ecchymoses producit humorum, qui in quadam parte stagnant, adeoque vicinas comprimunt; aut per stagnationem acres redditi nimis, stimulant, contractionibus violentis ansam dant: a quibus symptomatibus pessimas obstructiones, earumque sequelas, aliaque bene multa produci posse, liquet. Multo magis autem nocere *compositam* contusionem, abunde patet; siquidem eo in casu caussarum numerus augetur. Liquet hinc, contusionem non tantum in articulo, sed vel in remo-

(*n*) Vid. §. XXIII. *pag.* 21. 22. Cf. *Tab.* I. *Fig.* IV.

motiſſimis ab articulo locis nocere; quum nempe partes ad articulum tendentes, muſculi, vaſa, nervi comprimantur, vel et alio modo laedantur.

XIII. De *Ecchymoſi* jam, in vulneris & contuſionis hiſtoria ſatis egi prolixe, ut his acquieſcam.

XIV. *Ichor*, *meliceria*, *hydrops articulorum*, Ancyloſi creandae favent: vel inde, quod tumens articulus & acri humore diſtentus (*o*) motum negat; vel exinde, quod maceratis eroſisque epiphyſibus harumque catilaginibus, ſuccedit ferrumen callum mentiens, ligamenta diſtrahens & motum impediens. Hoc ferrumen a callo in eo differt, quod non e vaſis fracti oſſis diſruptis, ſed e fibris oſſeis deſtructis, enaſcitur. Hinc productam inter radium, carpum & oſſa metacarpi quatuor priora Ancyloſin obſervavit TRIOEN (*p*).

XV. *Rheumatismus*, a frigore corpori calido ſubito applicato, nocet, ob dolorem, vaſa conſtricta, circulationem impeditam, ſecretiones, excretiones & reſorptionem turbatas, unde ſynovia ſtagnans nonnullas mutationes (*q*) memoratas, huc facientes, ſubit. Ex hoc rheumatiſmo cauſſam derivat ill. SWIETENIUS, cur hortulani

(*o*) Quae diſtenſio aliquando inſignis eſt. Ita doct. REIMARUS *Diſſ. Cit.* *pag.* 26. dicit, ſe capſam articularem genu ultra trium ſupra patellam pollicum ſpatium hinc diſtentam vidiſſe.

(*p*) Vid. *Obſ. Med. Chir. faſcic. pag.* 128. *Tab.* IX. Conf. HEISTERI *Inſt. Chirurg. Ed. Belgica Tom.* I. *Lib.* II. *Cap.* I. *de Fracturis pag.* 195.

(*q*) Vid. §. X. N. II. 80. *pag.* 16.

tulani & agricolae Ancylosi haud raro laborent (*r*); quam in eo esse censet, quod corpus antrorsum inflectant, unde tunc spina aestate incalescit, & a cadente pluvia madentibus indusio aliisque vestibus subito refrigerata rheumatismum contrahit, hincque immobilitas, & plenaria tandem ossium concretio oritur, dum spina inflexa manet, & gibbositas, nec arti, neque naturae sanabilis, adest.

XVI. *Arthritis* ad Articulorum rigorem disponit: 1°. quod oritur tantum non semper, a caussis diathesin ad immobilitatem constituentibus, v. g. rerum non naturalium abusu, rheumatismo, &c.; 2°. ob insignem, qui eam comitatur, dolorem, motui minus faventem; 3°. quia intemperies arthritica partes molliores corrodit, ossa corrumpit, inflammationes producit; 4°. quia nodos, tumoresque tophaceos, immo veros calculos (*s*), ad articulos exserit, ita positos, ut motum directe non impedire nequeant, aut partes molliores comprimant, adeoque paralysin aliaque producunt; vel tandem, quia enati intra articulum tophi nodique, ligamenta rigefaciunt, vel distrahunt, & luxationi ansam dant. Ex arthritide enatam Ancylosin vidit non semel PAVVIUS (*t*).

XVII. *Scorbutus* hic quoque in censum venit, quia acrimonia sua & cacochymia humores inficit, aequabilem elementorum mixtionem

---

(*r*) Vid. *Comm. ad Aph.* BOERH. §. 1492. *Tom.* V. *pag.* 658, 659.

(*s*) Vid. §. X. *N.* III. *cum locis ibidem citatis.*

(*t*) Vid. BONETI *Sepulchr. Anat. lib.* IV. *Sect.* 6. *Obs.* 4. §. 1. *pag.* 429.

tionem deſtruit, ligamenta corrumpit, infarctiones, inflammationes, ſpasmodicos inſultus creat, oſſa corrodit, quin et antea fractorum callum deſtruit, & ex corroſa oſſium ſuperficie varii generis producit excreſcentias, unde motus impeditur; quin, deſtructa externa oſſium lamella, ea conferruminat; nec raro in gangraenam terminatur.

XVIII. Pejor longe ſcorbuto, *Lues Venerea*, eadem, aucta tantum intenſitate, producit ſymptomata.

XIX. Huc faciunt ipſi *Oſſium Morbi*; quo pertinent

1°. *Atrophia*. Oſſa nimirum, ut reliquae C. H. partes, ut ſuas rite peragant functiones, debitum exigunt nutrimentum. Ubi jam ſatis materiae nutrititiae ad oſſa non accedit, eorum cohaeſio minuitur; ita ut facillimo negotio ab adjectis proxime muſculis comprimantur, incurventur, frangantur. Ubi vero ſatis magna quidem quantitate nutrimentum oſſibus apponitur, ſed idem illud minus aptum, aut vitiatum fuerit, praeter dicta, materies nutrititia intra oſſa ſtagnat, acris fit, oſſa erodit, cariem, praeſertim paedarthrocacen, & alia mala plurima, generat. Ubi haec in juniore aetate obtinent, oſſa nondum ſatis evoluta, depoſita in extremis materiae copia, defraudatis corporibus, incurvantur, complanantur, ad extrema intumeſcunt, rhachitis, varia gibbera, exoſtoſes naſcuntur, capita oſſium a corporibus ſeparantur, & cum ſuis acetabulis concreſcere ſubinde videntur: quod ſaltem ex oſſe humeri adulti hominis, quod aſſervo, & cum quo capita radii ulnaeque confluxiſſe videntur, concludo. Oſſa praeterea in adultis non ſatis,

vel

vel minus bene, nutrita, mole minuuntur: adeo ut vel longissimorum C. H. ossium corpora digitum minimum crassitie aequent, non multum sane superent; quod eximiis, quae penes me sunt, exemplis adultorum ossium demonstrare possem: unde necessario motus impeditur. Nascitur porro universalis atrophia, corporis incrementum impediens, & depravatis solidis, depravatis etiam vel partim, vel penitus, fluidis, macies, tabes, cachexia corpori inducitur; quibus haud raro febris hectica sese comitem adjungit; serius ocyus mors tragoediae obducit cortinam. Huic eidem caussae mollities ossium, de quo alibi (*u*), verbo egi, deberi videtur, imminuta ab humorum acrimonia cohaesione. Et hinc derivo, quod asservo & hic omnino ob singularitatem memorare compellor, femoris os sinistrum, cujus caput non, ut solet, cum collo angulum format, sed recta e corpore ossis ipso adscendit, quodque variis gyris mirifice contortum est, quod actioni musculorum in hoc os, antea mollius, attribuo.

2°. *Rhachitis*, quae frequens est in junioribus morbus, raro, si unquam, in adultis observatus, Anglis familiaris, & hinc κατ᾽ ἐξοχὴν *Anglicus* dictus, atrophiae admodum affinis; sub quo ossa insigniter mollescunt, latescuntque, ad extrema intumescunt, ad motum figura mutantur; & hac de caussa in altero articuli latere multum aliquando a se mutuo distant, adeo ut vel validiore paullulum motu luxentur ossa; in opposito latere ita sibi mutuo apprimuntur, ut

(*u*) In *Dissert. de Ancylosi* §. II. *pag.* 3. *Not. c.*

ut ipsorum aliquando superficies deterantur, ossaque invicem concrescant. Nocet etiam rhachitis, quoniam epiphyses, a corpore ossis solutae, nullam ossi relinquunt stabilitatem, motumque hoc pacto impediunt: tum et, quoniam eaedem epiphyses, nimium turgidae, intra acetabula sua moveri negant, & cum iisdem tandem concrescunt. Nocet porro, quia, ubi duo ossa sibi mutuo adstant, ut v. g. in crure, in cubito, latitudine aucta facile coalescunt; quod ex tibia fibulaque insigniter a rhachitide incurvis, sibique in parte ferme media novo quasi articulo, arthrodiae forma, mutuo applicatis, aliisque, quae possideo, conjicere licet. Maxima tandem, quae eam comitatur, cacochymia, ligamenta vitiando, partesque vicinas molliores, ipsa ossa inficiendo, smegma inspissando, coagulando, Ancylosi favet admodum. His accedunt alia, in rhachiticis praesentia. Nempe difficultas motus voluntarii; unde vel decumbere, vel sedere per longum tempus miseri coguntur infantes: accedit respiratio difficilis, cum obstructione glandularum; unde ossa in articulis non satis mota quiescunt, rigescunt fibrae; inspissatur linimentum Haversianum & glutinis vice fungitur; destruitur per natam humorum acrimoniam periosteum; affluit ex ipsa ossium substantia cocopiosa lymphae corruptae tenacis quantitas; oriuntur novae, variae directionis, fibrae. Ita nonnulla thoracis ossa inter se concrescunt. Grave insuper caput voluntario motui vix obedit, cum parte cervicis, vel tota cervice concrescit. Conf. *Acta Phys. Med.* (v), ubi relatam

(v) *Vol.* VIII. *Obs.* 124. *pag.* 452. *seqq.*

tam magnae ſpinae partis cum cervice Ancyloſin jam olim memoravi (*w*).

3°. *Variae gibberum ſpecies*, quae vulgo tres recenſentur. *Cyphoſis* nempe, ſive incurvatio ſpinae poſteriora verſus; *Scolioſis*, ubi ſpina latera verſus incurvatur; & *Lordoſis* denique inflexionem ſpinae priora verſus, in qua ſpina a poſteriore excavata eſt, denotat. Harum ſingulae ſuam ad Ancyloſin conferunt ſymbolam.

Cyphoſis & Scolioſis huc faciunt: ſiquidem, ubi poſteriora verſus inflectitur ſpina, corporibus interjectae cartilagines, quin magna ipſorum corporum pars, deteruntur, plane deſtruuntur, aut et concreſcunt vertebrarum corpora; immo ipſae coſtae ſibi mutuo appreſſae coaleſcunt; tum et, quia muſculi dorſales valide diſtrahuntur. Ubi autem in latera incurvatur ſpina, eadem obtinent, ea tantum cum differentia, ut non tantum corpora vertebrarum, ſed et proceſſus transverſi multum inde patiantur & invicem confluant. Eodem plane modo nocet *Lordoſis*, niſi quod dorſales muſculi non diſtrahantur, ſed e contrario laxentur; nec tantum corpora vertebrarum, ſed arcus, omneſque proceſſus ita coaleſcant. Dicta haec de gibboſitatibus, tanquam ad Ancyloſin diſponentibus, e plurimis, partim antea memoratis (*x*), partim aliis, tum e propria, tum ex alienis Collectionibus, deſumtis ſpeciminibus, ſi per otium liceret, demonſtrare poſſem. Inprimis autem reticere non debeo exi-

(*w*) In *Diſſ. Cit. de Ancyloſi*, §. XXII. *pag.* 21.
(*x*) Vid. *Ibid.* §. XXIX. *pag.* 29. *ſeq.*

eximiam, quae huc facit, mihique, ut ita dicam, nuperrime in manus incidit, duarum vertebrarum cervicis, omniumque dorsi, cum duodecim costis, integris adhuc, & sex saltem aliis abruptis, trium denique vertebrarum lumbarium, Ancylosin, ex adulti, admodum gibbosi, hominis cadavere oriundam. Ex dictis gibberum speciebus insuper paralysis enasci potest, quo etiam nomine ad Ancylosin faciunt. De variis gibbositatibus conf. Doct. C. H. À Roy (*y*) & G. Coopmans (*z*), nec non clar. Chirurgi P. Pott supplementum ad Tractatum, *de Paralysi artuum inferiorum ex spinae incurvatione*, Anglice conscriptum pulchrisque figuris illustratum, quod belgice nuper & animadversionibus auctum Diario Chirurgico Roterodamensi (*a*) inseruit doct. M. S. du Pui, M. D. & Lector Anat. Chir. & Artis obstetriciae Campensis. Totius etiam spinae gibbosae Ancylosin se possidere retulit Heisterus (*b*).

4°. *Exostosis*, sive ossium excrescentia, quorsum et *osteo-steatoma*, *osteo-sarcoma*; refero, eo nomine in censum venit, sive *in ipso articulo*, sive *juxta articulum*, sive etiam *in loco ab articulo longe remoto* fiat. Haec ut intelligantur, pauca de exostosi praemittenda credidi. Ἐξόστωσις dividitur in tres species; prima est, in qua in ipso ossium canale excrescentia talis enascitur, quae ossa expandit; altera adesse dicitur, ubi inter ipsas ossium fibras talis excrescentia adest; ubi

(*y*) in *Dissert. de Scoliosi*, *L. B.* 1774.
(*z*) In *Dissert. de Cyphosi*, *Fran.* 1770.
(*a*) *Genees- Heel- Artzeny- en Vroedkundig Magazyn*, 1783.
(*b*) In *Inst. Chirurg. Tom.* II. *Cap.* 109. *pag.* 870. *Ed. Belg.*

ubi tandem externam offis fuperficiem occupat, obtinet tertia fpecies. Egregiam hanc divifionem tradidit HOUSTET (*c*). Talis *exoftofis*, *ipfum occupans articulum* nocet: tum quia motum directe impedit; tum quia ligamenta diftrahit; tum quia fmegma articulare diffipat, aut condenfat; tum denique, quia excrefcente duo inter offa materia offea offa ipfa conferruminantur. Quam facile hinc enafci valeat Ancylofis, vel folo pelvis noftrae, antea (*d*) memoratae, infpectu cognofcitur. *Exoftofis juxta articulum* plurimum quoque ad hunc morbum disponit: partim quia motum mechanice impedit; (in duobus autem, quae affervo, altero edentuli, altero junioris, adulti tamen, craniis, in quibus ante foramen magnum, directe ante partem anteriorem atlantis, valida exftat exoftofis, licet liber atlantis motus inde absque dubio impeditus fuerit, vera non fucceffit Ancylofis); partim quia ligamenta offea obducit materia; partim quia, ubi ad articulum pervenit, articuli cavum intrat, ficque, ut vidimus, nocet; partim quia partes vicinas pungit, irritat, comprimit, inflammat; tum denique, quod ipfa offa, ubi multum progreffa eft, recipientia receptis circumcrefcunt (*e*), vel directe in unum coëunt. Sed vel *ab articulo remota* huc facit *exoftofis*: tum quod partes molles pungit, irritat, inflammat, nervos comprimit, adeoque con-

(*c*) Vid. *Memoires de l'Acad. R. de Chirurg. Tom.* III. *pag.* 130. *feqq.*

(*d*) In *Diff. cit.* §. XXXVI. *pag.* 39, *feq.*

(*e*) Haec cauffa in articulo femoris & coxae a procrefcente circum caput femoris acetabulo non infrequens eft; quod multis, partim e mea, partim ex aliorum Collectionibus, in quibus os femoris vel penitus non, vel non nifi certa quadam directione, extrahi fe ex acetabulo finit, demonftrare valeo. Conf. *Diff. mea cit.* §. XXXVIII. *pag.* 41. *feq.*

convulsiones, dolores, paralyses producit; tum et quia nimium progressa articulum tandem attingit. Lectu dignissima est historia de flexu corporis antrorsum, per appendicem in sterno, impedito; quam observavit BONETUS (*f*). Ex VESLINGIO simile quid narrat PALFYN (*g*).

5°. *Claudicatio*, sive ille morbus, a luxatione haud raro oriundus, quo capita ossium globosa complanantur, & insigne quantum expanduntur, & acetabula vicissim circumcrescunt, diathesin immobilitatis nostrae constituit inde, quia talia ossa, suis in acetabulis rite moveri nequeuntia, smegma magnam partem, vel penitus exprimunt, obstructiones, inflammationes creant, ligamenta partesque molliores distrahunt, nervos, vasa, glandulas, comprimunt, vel denique cum suis acetabulis concrescunt. Natam in claudicante femoris cum coxa Ancylosin, & ossis Ischii interiora versus degenerationem, memorat A. DE HAEN (*h*).

Eodem nomine, ac claudicatio, atque exostosis, nocent *Excrescentiae ossium fungosae*, a nonnullis ad neutram illarum relatae; quas tamen ad exostoses, ne nominum multitudine obruamur, referre malo.

6°. *Caries*, quo & ita dictam νέκρωσιν refero, cujus specimina in tibia & maxilla inferiore asservo, variis titulis nocet: tum quia saepe generatur a morbis Ancylosi faventibus, v. g. vitiis liga-

men-

(*f*) In *Sepulchr. Anat. lib.* IV. *Sect.* 6. *Obs.* 4. §. 5. *pag.* 430.
(*g*) Vid. *Beschryving der Beenderen, pag.* 359. *seq.*
(*h*) In *Rat. Med. Vol.* I. *pag.* 306. *seq. Edit. Leid.*

mentorum & linimenti, inflammationibus, harumque ſequelis, vulneribus, contuſionibus, ulceribus, ſcorbuto, lue venerea, aliis; tum et, quia pro cauſſa agnoſcit acre varium, ſive mechanicum, ſeu chemicum, quod oſſa ita inficit, ut oſſea firmior ſubſtantia corrodatur, aut tota ſaepe pereat; ita aliquando, ut integra pereat oſſium ſoliditas, unde in pulverem quaſi fatiſcunt. Hac ratione muſculorum actionem non ferunt, & membrum immobile redditur: quo tamen in caſu rarius ſolis in oſſibus vitium haeret; ſed et aliae partes, ligamenta, ipſi muſculi inficiuntur, eroduntur, penitusve deſtruuntur; linimentum Haverſii vel coagulatur, vel attenuatur. Carie praeterea oſſium cruſtae cartilagineae, quae nunquam renaſcuntur (*i*), eroduntur & de oſſibus ſeparantur, unde in motu augetur attritus. Tum etiam nocet caries, quia a materia ab oſſibus per cariem ſeparata, ſi prope articulum, vel in ipſomet articulo ſit, dictum ſmegma inſpiſſatur, cum ea in firmiorem compagem concreſcit, motuique obſtat. Denique, ubi ſanatur caries, & exfoliatio adeſt, nova lamella oſſea enata articulum praetergreditur, ligamentis applicatur, vel ipſa immediate compingit.

7°. Nec inter diatheſes ad obrigeſcentiam omittenda eſt *Spina ventoſa*, ſive *Paedarthrocace*, quae nocet partim iiſdem de cauſſis, quibus caries; partim, quod oſſa immaniter tumefacta & dilatata, ſibi invicem adſtantia confluunt; vel intra ſuum cavum moveri negant, adeoque illud dilatare conantur, quo cedere neſcio, ſyno-

(*i*) Vid. PLATNERI *Inſt. Chirurg. Rat.* §. 1050.

ſynoviam, aut partem ſaltem illius tenuiorem, diſſipant, ligamenta muſculosque diſtrahunt, nervos comprimunt, vel et cum ſuo cavo firmiter concreſcunt, aut eo contineri negantia luxationem ſubeunt. Nocet praeterea ideo, quod oſſa ad motum expeditum ſat levia non ſunt: denique, quod dolor punctorius, a motu auctus, mobilitati reſiſtit: ne de abceſſibus veris, tenellorum talia oſſa infeſtantibus, diſruptis, defectum in oſſibus relinquentibus, callo ſupplendum, loquar: quales defectus in ulna infantis, cum humero Ancyloſin paſſa, quam poſſideo, deprehenduntur. Ancyloſin a ſpina ventoſa oriundam, quae in collegio Chirurgico Lugdunenſi aſſervatur, femoris cum tibia et patella deſcripſit & exhibuit TRIOEN (*k*).

Id praeterea, quod et ad Ancyloſin diſponit, commune inter ſe habent caries & Spina ventoſa: 1°. quod in utroque morbo aſperae & inaequales oſſium corruptorum ſuperficies, ſibi mutuo applicatae, per vaſorum fibrarumque conjunctionem vel corroſionem & ſeri effuſionem in unum os conſolideſcunt (*l*). Patet hoc e duabus tibiis fibulisque, quas habeo, lateris dextri, quorum ſpeciminum in altero a ſpina ventoſa per aſperas eminentias, quae ligamentum interoſſeum penetrarunt, illae junguntur; in altero utrumque os, in inferiore parte valde tumidum, planiuſculum aſperius-

que,

(*k*) *l. c. pag.* 129, *ſeq. Cf. Tab.* X. *Fig.* 2.

(*l*) Conf. DU VERNEY *Traité des Maladies des Os*, *Tom.* II. *pag.* 375. *Ed. Belg. pag.* 317.

que, ibidem in unum plane os abiit. 2°. Quod utroque in morbo folliculi articulares aliquando corrumpuntur, unde axungiae ſecretio ceſſat, vel iidem illi folliculi acriorem humorem articulos erodentem fundunt, quae totidem utriusque Ancyloſeos audiunt cauſſae.

8°. Nocere poteſt *luxatio*, ſive *non reducta*, ſive *male*, ſive *bene reducta*. *Luxationes non reductae*, *completae*, huc faciunt, quia caput oſſis, e ſuo egreſſum acetabulo, oſſis illius ſuperficieï apprimitur, dum caput oſſis luxati, adjutrice natura, prius acetabulum continua preſſione & ictu oblitterat, novumque pone praecedens ſibi format, in quo, deficientibus ligamentis, muſculiſque violatis, moveri nequit, adeoque, niſi ut cum ſuo concreſcat acetabulo, nil ſupereſt (*m*); quale exemplum antea deſcripſi & icone illuſtravii (*n*). Accedit partium vicinarum a luxatione vel diſtractio, vel compreſſio.

Luxationes non reductae incompletae nocent ob diſtenſionem, vel & aliquando lacerationem, ligamentorum, aliarumque partium diſtractionem compreſſionemque; unde motus magis minusve perit, ſmegma articulare inſuper nimia copia colligitur & inſpiſſatur

---

(*m*) Novum ejusmodi acetabulum frequenter in oſſium morboſorum Collectionibus invenitur. Quale in femore tractu temporis & continuo motu antrorſum urgetur, & cum priore confluit, illudve plane tegit, manente hujus veſtigio; quod mihi ex meis ſpeciminibus perſuadeo. Poſſideo etiam os innominatum, in quo femur e naturali acetabulo elapſum, dein locum magis lateralem & inferiorem in Iſchio occupavit, & poſtea in medio oſſe Ilium profundum & laeve ſibi impreſſit acetabulum, quod certe rarum eſt.

(*n*) Vid. *Diſſert. de Ancyloſi* §. XXXVIII. *pag.* 41, 42. *Conf. Tab.* II. *Fig.* XXII, XXIII.

inſpiſſatur & corrumpitur. Natam inde Ancyloſin memorat EVERSIUS (*o*). Quam facile a non reducta luxatione enaſcatur Ancyloſis, docet, quam nuper inveni, epiſtrophe, cujus proceſſus adſcendentes, nominatim dexter, & dentis ſinus articularis, multum complanati & laevigati deprehenduntur; qui, ni fallor, temporis tractu cum locis atlantis reciprocis articularibus concreviſſent. Docent idem oſſa humeri aliaque, quae aſſervo, quorum extremitates adeo degenerarunt, ut vix ullus in vita motus adfuiſſe videatur; praeprimis, ut alia varia ſicco pede tranſeam, articulus, in quo oſſis humeri caput explanatum valdê eſt & laevigatum, ut a cavo ſcapulae glenoideae multum dilatato, & proceſſu coracoideo pariter dilatato, utriſque glaberrimis, recipi queat. Ipſa pars claviculae, acromio naturaliter commiſſa, glaberrima eſt. Convenit quadantenus hoc ſpecimen cum eo, quod deſcripſit clar. BONN (*p*). Natam a non reducta luxatione Ancyloſin humeri cum ſcapula tradidit J. D. SCHLICHTING (*q*). *Luxationes male reductae ad* Ancyloſin diſponunt ob partium contorſionem, diſtractionem, ortumque inde dolorem, inflammationem & ad motum ineptitudinem; quibus accedit compreſſio partium molliorum. *Ipſae* denique *bene reductae luxationes* noxa nondum carent: partim ob cauſſas non ſublatas; partim ob diſtractionem; partim ob nimiam fa-

(*o*) Vid. RICHTER *Heelk. Boekzaal*, VI. *Deel* I *Stuk. pag.* 107, 108.
(*p*) In *Comment. Cit. pag.* 45. *ſeqq.* Conf. *Tab.* IV.
(*q*) In *Act. Phyſ. Med. T.* VII. *Obſ.* 40. *pag.* 108.

fasciarum constrictionem. In omni praeterea luxatione dolor major minorve, et inflammatio adsunt. Nocent et hinc luxationes, quod iis non raro fracturae, aut alii morbi accedant. Prae caeteris nocent maxime luxationes vertebrarum, ossisve sacri, quae medullam spinalem comprimendo paralysin, & suo detritu callum valent producere, facile ab uno osse ad aliud tendentem eademque connectentem. In hoc casu saepe moriuntur aegri; non tamen semper, ut antea (*r*) patuit.

9°. Huc refero *Fracturas*; quae ad Ancylosin faciunt, sive *in ipso articulo*, sive *in locis articulo vicinis*, seu tandem *loco ab articulo remotissimo* fiant. *Fracturam in articulo ipso* huc conferre, quis dubitaverit? si consideret, tum effusum a fractura laticem intra articuli cavum motui resistere; tum, humorem ossi consolidando dicatum (*s*) vel intra articuli cavum infundi, adeoque necessario ossa conferruminari debere; vel eundem ligamentis circumfusum liberum motum impediturum, quin ipsa ossa temporis progressu praeternaturaliter juncturum. Ancylosin hac de caussa natam describit TRIOEN (*t*). *Fractura in articuli vicinia* hoc respectu nocere potest, vel, quod luxurians callus ab uno osse ad aliud tendit; vel capsulas ligamentaque caetera investit, indurat, adeoque illorum flexilitatem, motui summe necessariam, tollit.

Docet

(*r*) Vid. *Dissert. mea de Ancylosi*, §. XXII. *pag.* 19. *seq.*
(*s*) Vid. HEISTERUS *l. c. Tom.* I. *Lib.* 2. *Cap.* 1. *pag.* 195. *Ed. Belg.*
(*t*) *l. c. pag.* 129. *Cf. Tab.* X. *Fig.* 1.

Docet hoc innominatum, quod possideo, in quo ingens conspicitur acetabulum, e quo femur ob callum enormem, praegressae obliquae trochanterum cum parte colli fracturae sequelam, acetabulum cingentem, educi nequit. Docet etiam hoc Ancylosis ossium pubis, quam descripsi (*u*). Illustrat hoc pariter, quam inter reliquas coxarum fracturas asservo, fractura ossis ilium ibidem ferme facta, ubi ossi sacro hoc nectitur, & ubi a parte interna callus luxuriatus deprehenditur, quem, nisi cum illo osse, ut videtur, concreverit, saltem brevi confluxurum fuisse, confido. Hinc forte, nisi atrophiae aut rhachitidi, & hinc separatis epiphysibus, attribuere quis malit, derivandum, quod reperiantur ossa plane capitibus orbata, quod inprimis in femoris ossibus observavi, & quasi truncata, attamen ad speciem caeterum satis sana. Quo referre licet adultum femur, in ipso corpore infra trochanteres fracturam aliamve injuriam passum, & hinc incurvum, cujus caput a fractura, ut videtur, deficit, pro quo sinus reperitur, sub quo trochanter minor delitescere videtur. Quae tunc capita cum alterius acetabulis saepe coire videntur. *Fracturae* denique, *ab articulo vel remotissimae*, ut omnes reliquae, ad dirum hoc affectionum genus disponunt inprimis ideo, quod articulus de tempore in tempus rite non moveatur. Si quoque duo ossa sibi invicem prope adjacentia, vel a latere adstantia frangantur, callus ab uno ad aliud progressus, ambo jungit. Egregium Ancyloseos, a fractura ab articulo remo-

(*u*) In *Dissert. de Ancylosi*, §. XXXVI. *pag.* 38.

remotiſſima oriundae, ſpecimen, mihi ab amiciſſimo commilitone P. Jas, Medicinae Candidato, ſuppeditatum, hic ſiſtere placet. Conflatur tribus dextri lateris coſtis, hominis adulti, obliquam ferme in medio, a parte ſuperiore ad inferiorem, fracturam paſſis, quarum fragmenta ſatis bene conſolidata ſunt; a luxuriante tamen callo mutuo coaluerunt, ita quidem, ut in ſuperiori callus ita abundaverit, ut exoſtoſis plana, quodammodo ſinuata, conſpiciatur, quae ad ſuperiorem aliam coſtam attigiſſe, non autem cum eadem coaluiſſe, videtur. Idem in oſſium crurum fractura non raro contingit, quod in ſpecimine, mihi olim a clar. G. van Doeveren benevole ſuppeditato, patuit (*v*). Similia ferme varia nuperrime nactus ſum, in quibus unum ſpina ventoſa ſimul inſigne. Immo, licet alterutrum horum oſſium fracturam non fuerit paſſum, inde oriri poſſe concretionem, luculenter demoſtrat, quod poſſideo, exemplar; in quo fibula dextra non longe a malleolo fracta oblique per callum coaluit, quo callo tibia quoque, nullam injuriam paſſa, a latere eſt obducta, ita ut haec exoſtoſin fibulam verſus ſiſtat, reciproce fibulae, ginglymi forma, reſpondentem, attamen ab ea ſolutam. Quin etiam fractura prope extremitatem oſſis ſuperiorem facta Ancyloſin cum oſſe alio, licet inferiore, producere poſſe videtur. Ita concludo ex inſigni, quod penes me eſt, fracturae per callum ſanatae exemplo. Hoc femur conſtituit dextrum, ad cervicem & trochanterem utrumque obliquam fracturam paſſum, cujus

(*v*) Vid. *Diſſ. Cit.* §. XLII. *pag.* 46. *Cf. Tab.* II. *Fig.* XXVI.

cujus callus luxurians, inferiora versus descendens, trium & ultra pollicum longitudinem adhuc aequat, licet pars abrupta videatur. Si jam tale quid in brevioribus ossibus fiat; hinc extremitatis a fractura immunis cum vicino osse non sequi non potest concretio. Praeterea, ut callus in dicto casu ad tantam longitudinem prosersperat, quidni et lapsu temporis ad crus potuisset progredi? Nocent praeterea in genere fracturae, ob partium vicinarum compressionem, irritationem & inflammationem: quibus accedit nimia fasciarum thecarumque constrictio, & articulorum quies. Non omnis tamen aeque fractura nocet. Nocet inprimis fractura patellae transversa, per callum sanata, quo in casu tibia cum femore coalescit; non quidem semper, at indubie, quoties mola tota comminuta est (*w*). De Ancylosi spuria a rotula fracta, motu sanata, vid. Petit (*x*). Magis vero nocet fractura columnae vertebralis, vel ossis sacri. Fractis etenim his, comprimitur magis minusve contenta intra specum medulla; unde oriuntur ea in parte obstructio, inflammatio, hujusque sequelae; vel et omnes, quae ab hac medulla suos recipiunt nervos, partes inde paralyticae evadunt; & variae aliquando a tali fractura oriuntur gibberum species. Rarissime, fateor, supermanent aegri: legi interim meretur historia viri, cum tali fractura per octo annos superstitis (*y*).

Possideo

(*w*) Vid. Clar. Camper *in Diss. cit.* ab J. Koole *publice defensa*, §. XII, XIV. *Obs.* 9, 10. §. XVI. *Obs.* 11, 12. *cum l. c.* & §. XIX.

(*x*) *Traité des Maladies des Os*, *Tom.* I. *pag.* 321.

(*y*) In *Ephem. Nat. Curios. Cent.* I. *Obs.* I. Conf. *Diss. mea de Ancylosi* §. XXIII. *pag.* 21, 22.

Possideo etiam ossa sacra, in quibus fracturae firmo callo sunt sanatae. Nonnulla adhuc de fracturis ad Ancylosin magis minusve disponentibus occurrunt a MOSCATI & BAILLERON tradita (z), quae hic repetere non vacat.

Quod a fractura aeque, ac luxatione nata Ancylosi articuli saepe inflectantur, monet ill. SWIETENIUS (*a*), inde fieri, quod musculi flexores extensoribus praevalere solent; quod tamen in crure non fieri, antea ex DU VERNEY monui (*b*).

Dicta de Ossium Morbis pro nostro scopo sufficiunt, alia inprimis ex PETITO (*c*) & DU VERNEY (*d*) hauriri poterunt.

XX. Huc denique referendus videtur *materiae morbificae ad articulos metastasis*; unde Ancylosis aliquando enata fuit. Hinc v. g. derivare licet Ancylosin, quam ab eodem morbo in utroque cubito, absque tumore & dolore, relictam, unguentis nervinis & leni motu sanasse J. VAN WYCK, scribit doct. REIMARUS (*e*). Ipse obrigescentiam in poplite, a febre biliosa vehementi, observavi. Nec, si talis, quaecunque sit, materiae acrimoniam, summas in corpore turbas producendo aptam, humorumque acrium versus quemdam articulum decubitum consideraverit, hoc mirabitur ullus.

§. XII.

(z) Vid. *Mem. de l'Acad. Roy. de Chirurg. Tom.* IV. *pag.* 614, *seqq.* & 624. *seq.*
(*a*) Vid. *Comm. in Aph.* BOERH. §. 556. *pag.* 951. *seq.*
(*b*) Vid. *Diss. mea de Ancylosi*, §. XLVI. *pag.* 49.
(*c*) *Traité des Maladies des Os, Par.* 1749.
(*d*) *Traité des Maladies des Os, Par.* 1751. *Ed. Belg. Amst.* 1756.
(*e*) In *Dissert. de Fungo ligamentorum, pag.* 23. *Not. c.*

§. XII.

Jam caussarum satis. Patet ex dictis, ad constituendam Ancylosin requiri caussarum procatarcticarum & proëgumenarum concursum, quo posito sequitur ipse morbus. Harum autem caussarum alterutram absque altera non sufficere, earumque concursum providae Naturae nutu utplurimum deficere, ex iis, quae de vi distrahente, aliisque dicta sunt, abunde liquet. Inprimis autem luce meridiana elucescit clarius ex singulari, quam inter varias alias asservo, claviculae fractura; cujus extremitas, cum summo humero naturaliter articulata, fracturam subiit, callo redintegratam, quae tamen, ob caussae occasionalis defectum, cum scapula non confluxisse deprehenditur. Idem de aliis verum est. Sed ad Symptomata enarranda propero.

CAPUT II.

DE ANCYLOSEOS SYMPTOMATIBUS.

§. XIII.

In hoc capite haud male versaturus mihi videor, si ordine agam I°. de Symptomatibus caussarum; II°. de Symptomatibus morbi; III°. de Symptomatibus symptomatum; IV°. de symptomate auxiliari; V°. de Ancylosi morborum remedio.

§. XIV.

§. XIV.

Ad *Symptomata Causſarum* referri poſſunt

I. *Dolor:* qui ex enarratis cauſſis quam facile hic naſcatur, norunt omnes, qui dolorem pro indice imminentis periculi, cum Gaubio (*f*), ſalutant.

II. Διάπηδησις, quae a vi diſtrahente, a luxatione, fractura, claudicatione aliisque, oritur; quibus fit, ut ligamenta & muſculi, horumque vaſa ita diſtendantur, ut humor, qui iis contineri debebat, tranſſudet & diſſipetur.

III. *Vaſorum, aliarumque partium inertia*, quae a vi diſtrahente, comprimente, contorquente, aliisque oritur; ſiquidem his de cauſis illae partes tonum amittunt, & vaſa nec liquidum accipere, nec apto ſatis modo in contenta agere, adeoque nec acceptum antea liquidum propellere valent.

IV. *Membri ſitus perverſus* ex valida contorſione, qua totum membrum invertitur, ex luxatione, fractura, &c. oritur: quibus fit, ut membrum a naturali ſitu devians motui voluntario non obtemperet, & eo in ſitu, niſi in auxilium vocetur manus perita, remanere cogatur.

V. Διαίρεσις huc facit, quam ab eroſione, uſtione, ſciſſione, a vulneribus, ulceribus, ſcorbuto, lue venerea, rhachitide aliisque malis oriri, dubitabit nemo, ſi conſulat Gaubium (*g*).

VI.

(*f*) Vid. *Inſt. Pathol. Med.* §. 675.
(*g*) In *Inſt. Pathol. Med.* §. 204. *N.* 3.

VI. Iisdem de caussis nascitur *Nervorum destructio.*

VII. *Attritus* solito major, & hinc *strepitus*, fiunt a defectu, vel inspissatione smegmatis Haversiani, quod lubricando motui inservit. Hoc ergo non sufficiente, alliduntur sibi invicem ossa, augetur attritus, & ad minimum motum strepitus auditur. Hujus exemplum memorat J. VAN WYCK (*h*), in aegra 20 annorum, cui hac de caussa maxillae commissurae ita rigebant, ut manibus aperiendae essent, & ab adstantibus crepitus audiretur. Idem malum ab heterogeneis intra articulum contentis, glandularum tumore, aliisque nasci potest.

VIII. *Hydrops articulorum* ab eadem synovia nimis serosa oritur; siquidem illud serum, impedito motu, non satis dissipatur, adeoque novo accedente hydropem producit. Idem symptoma et a stagnante vel corrupto linimento oriri, quibus justa particularum miscela perditur, vix dubitandum est. Idem a corporibus heterogeneis in articulo contentis aliisque nascitur, quae motum directe impediendo, & vasa comprimendo huc faciunt.

IX. *Vasorum obstructio*, vel *Symphysis*, ab axungia, nimias partes mucosas, glutinosas, aut et minus olei, continente, oritur: quoniam tenaciore materia obstruit vasa resorbentia, & cum his concrescit. Idem et a materia ejusdem linimenti crassiore, per stagnationem a tenuiore separata, accidere potest.

X. *Tumores* nascuntur ab inspissato, vel a nimio, vel a stagnante smeg-

(*h*) Vid. *Aanmerk. N.* 43. cf. REIMARI *Diss. cit. pag.* 28.

ſmegmate articulari, nec non ab hydrarthro & pure, & heterogeneis in articuli cavo contentis, capſularia ligamenta diſtendentibus. Oriuntur inſuper ab intorſione, qua fit, ut oſſium eminentiae inſolito appareant loco; a ligamentorum etiam tumore, ab obſtructione, inflammatione, ſcirrho, emphyſemate. Tales pariter producunt oſſium epiphyſes rhachitide tumentes, gibbera varia, exoſtoſes; nec non claudicationes. Porro tumores naſcuntur a luxatione vel penitus non, vel minus bene reducta. Nec mirum. Tunc enim caput unius oſſis non intra alterius acetabulum haeret, ſed extra illud ponitur; quo ſimul in caſu fovea quaedam juxta tumorem in naturali acetabulo percipi ſolet. Tumores tandem producuntur a calli, fractas olim oſſium partes conſolidantis, luxurie, exoſtoſi, aliisque.

XI. *Luxatio* a ſtagnante, a nimia copia ſecreto, vel minus reſorpto linimento, vel a corporibus heterogeneis in articulo contentis, nec non a glandularum Cowperianarum tumore, ut et a ligamentorum debilitate, aut a muſculorum ligamentorumque disruptione, quibus oſſa e ſuis acetabulis expelluntur, nec intra eadem contineri queunt, producitur.

XII. *Ligamentorum, cartilaginum, oſſium corruptio, ulcera, abſceſſus, muſculorum ligamentorumque ſpasmi, ligamentorum mollities*, oriuntur a linimenti aliave quacunque acrimonia, partes vicinas vel irritante, vel deſtruente & pro varia parte affecta horum alia aliaque producuntur.

XIII. *Atrophia* axungiae acri intra vaſa reſorbentia receptae, itidem errori nutrimenti, ulceribus, rhachitidi, aliisque cauſſis debetur.

XIV.

XIV. *Articulorum inflexio* oritur a musculorum ligamentorumque accurtatione, & spasmo, quo partem versus, unde illi tendunt, pars affecta trahitur.

XV. *Ligamentorum ossificatio* ab eorum duritie, sensim increscente, fit.

XVI. *Linimenti effusionem* a diffractis ligamentis oriri, demonstratione non indiget.

XVII. *Suppuratio*, *scirrhus*, *cancer*, *gangraena*, *sphacelus*, *glandularum destructio*, ut facile liquet, ab inflammatione nascuntur.

XVIII. *Caries*, *spina ventosa*, a linimenti acrimonia, ulceribus, a scorbuto, lue venerea, atrophia, rhachitide, in quibus maxima adest acrimonia, vel progressu temporis nascitur, efficiuntur.

§. XV.

Quae ex ipsa *Ancylosi* redundant, *symptomata*, sunt:

I. *Musculorum inertia*; quae inde oritur, quod, immobili articulo, musculi, ad movendum illum destinati, sua munia obire, quamdiu immobilitas superest, plane nequeunt.

II. *Deformitas* nascitur, partim, quod motus homini multum venustatis conciliat, quam tollit Ancylosis; tum quod in malo situ positi sunt articuli immobiles; tum quod Ancylosin haud raro tumor comitatur. Ne loquar de vultus alteratione ex doloris molestia & taedio, ut in aliis morbis, praesertim diu infestantibus, generari solita.

III. *Artus brevitas* fit ex eo, quod, ubi dissipata axungia ossa concrescunt, corpus intermedium inter duo ossa sublatum sit, quae se invicem tangunt proxime.

IV. *Artus elongatio* inde fit, quoniam, smegmate in os indurato, aut praesente in articulo exostosi, intervallum inter duo ossa necessario augetur.

V. Varii defectus pro vario articulo laeso. Huc spectant

1°. *Auditus impeditus*, sive sit Βαρηκοΐα, sive sensus ille plane sublatus, producitur ab immobilibus per Ancylosin vel nonnullis, vel omnibus, auditus ossiculis. Ita v. g. ubi malleus cum incude concrevit, malleus, per tympani membranam, ab acceptis & in tubo acustico concentratis undis sonoris tremulam, affectus, cum incude receptos sonos communicare vel penitus non, vel non rite saltem, poterit. Si stapes cum incude, mediante ossiculo lentiformi, si cum fenestra ovali concreverit, suo tremore sonos in labyrinthum perducere, ut naturale est, non poterit. Patet adeoque, ab Ancylosi dictorum ossium vel imminui, vel depravari, vel integre aboleri auditum, prout vel quaedam, vel omnia, vel alterutrius, vel utriusque auris, concreverint ossicula. Hoc dirissimi hujus vitii symptoma memorarunt GAUBIUS (*i*), & Aestum. in Academia Trajectina Praeceptor, clar. J. OOSTERDYK SCHACHT (*k*). Immo & hanc surditatis immedicabilis caussam in cadavere homi-

nis

(*i*) In *Inst. Pathol. Med.* §. 704.
(*k*) In *Inst. Pract. Part.* II. *Lib.* 3. *Cap.* 1. §. 15. *N.* 3.

nis durante vita furdi reperit clar. Argentoratenfis Profeffor J. F. LOBSTEIN, recenfetque clar. P. F. MECKELIUS (*l*).

2°. *Manducatio impedita* nafcitur neceffario ex maxillae inferioris concretione cum capite. Nec mirum: quum haec actio in reciproca mandibulorum abductione & adductione confiftat; quae, immobili maxilla inferiore, fieri nequeunt Hoc etiam Ancylofeos fymptoma memoravit GAUBIUS (*m*).

3°. *Loquela impedita*, & *Aphonia*, itidem inter diri hujus affectionum generis fymptomata locum merentur. Per Ancylofin etenim immobili maxilla inferiore, variae litterae rite pronunciari negant. Coalefcentibus cornubus offis hyoidis cum bafi ejusdem, vel (quod magis) offificatis laryngis cartilaginibus, quod nonnunquam fieri antea (*n*) probavi, iisque tunc Ancylofin conftituentibus, litterarum pronunciatio, & foni modificatio ad cantum, fieri nequeunt; quod multis demonftrare non opus cenfeo. Facit etiam huc, quod in homine rauco cartilagines laryngis in os verfae & thyreoidea fiffa fuerit obfervata (*o*).

4°. *Refpiratio impedita.* Ad refpirationem enim requiritur, ut in ipfo infpirationis actu dilatetur thorax vario, & triplici quidem modo: longitudine, cedente inferiora verfus diaphragmate; ex profundo,

(*l*) In *Thefi* 9. poft *Differt. de Labyrinthi auris contentis Argent.* 1777. Cf. *Diff. meae Acad. Mantiffa N.* 2. *pag.* 54, 55.

(*m*) *l. c.* §. 794. Conf. *Differt. mea de Ancylofi, in Mantiffa, N.* 2. *pag.* 55. *feq.*

(*n*) Vid. *Diff. cit. pag.* 53. *feq.* Conf. doct. B. LULII, amici integerrimi, *Diff. Inauguralis de Nutritione*, nuperrime publice hac in Academia defenfa; *pag.* 27.

(*o*) Vid. *Ephemer. Nat. Curios Vol.* X. *Obf.* 13. Cl. VOGEL *Prael.* §. 589.

fundo, ubi, costis superiora versus sublatis, attollitur sternum; tandem latitudine, ipsis costis elevatis. Si jam costae cum vertebris, vel cum sterno, vel cum utrisque coaluerint, si unum alterumve horum, cratem hanc osseam constituentium, instrumentorum, suis muniis rite exsequendis ineptum sit; dilatatio illa ex latitudine & ex profundo fieri non poterit: eo magis, ubi ab effuso in interioribus callo, aut a nata exostosi, illa concretio fuerit facta. Tali itaque in casu debite expandi pulmones nequeunt, respirationi obex ponitur, organa pneumatica aërem vix admittunt. Habet et hoc symptoma GAUBIUS (*p*). Ossescentiam quoque cartilaginum costarum & sterni inter caussas asthmatis refert clar. R. A. VOGELIUS (*q*).

5°. *Partus difficilis* a concretione ossium pelvis oritur: quod ut patescat, nonnulla ex arte obstetricia ut repetam, necessarium duco. In foemina nempe parturiente, quo majus exituro foetui concedatur spatium, ligamenta, ossa pelvis invicem nectentia, determinato majore humorum versus genitalia affluxu, emolliuntur, elongantur, adeo ut aliquot lineas a se mutuo diducantur pubis ossa; ossa coccygis autem ex interioribus posteriora versus diriguntur, & ex arcuata forma magis eriguntur: quo tunc insigniter augetur pelvis capacitas. Hanc dilatationem tantum non omnes hujus aevi statuunt eruditi, & antea probavi (*r*). Negant eam tamen nonnulli, inter quos, omnium sibi in hac re visus oculatissimus, C. VON KRAPF (*s*). Nec mirum:

(*p*) *l. c.* §. 765.
(*q*) Vid. *Prael. Acad. de Cogn. & Cur. praecip. C. H. Affect.* §. 597.
(*r*) In *Dissert. de Ancylosi*, §. XXXV. *pag.* 37.
(*s*) Vid. *Anatomische versuche und anmerckungen &c.*

mirum: ſcilicet chondrarthroſin oſſium pubis frequenter ſatis, ſed absque ullo praeſente teſte, obſervavit oſſeam. De dicta vero dilatatione conf. amicus noſter integerrimus J. P. MICHELL, Practicus inter Amſtelaedamenſes jam eximius, qui ponderoſiſſimis haud ſane ponderoſas C. KRAPFII aliorumque objectiones refutavit argumentis (*t*). Dum jam mihi conſtat, oſſa pelvim conſtituentia in partu cedere; evidens cenſeo, ubi illa inter ſe coaleſcunt, os nempe ſacrum cum coccyge, vel innominato utroque, vel alterutro, vel omnibus ſimul, ſive abſit, ſive adſit pubis oſſium praeternaturalis junctura (*u*), hanc dilatationem fieri non poſſe & partum fore difficilem: praeſertim, ubi concretionem formaverit exoſtoſis, ſive callo, ſive ligamentorum oſſificationi ſuos debens natales; hinc etenim major exituro foetui naſcitur reſiſtentia, majusque obſtaculum parituræ, quae difficulter, nec ſine praeſenti vel foetus, vel ſui ipſius, vel utriusque periculo naturae molimen promovere tentat, & lethales futuros Ancyloſeos deplorat effectus. Hujus inprimis ſymptomatis ratio intelligitur, ſi huic ſive totius pelvis, ſive duorum pluriumve hujus oſſium, Ancyloſi, vario modo, inprimis cum exoſtoſi factae, accedat diametrorum pelvis a recta deflexio aut brevitas, adeoque pelvis quoad capacitatem imminutio. Tale quid mihi, ne de meo (§. XXXVI.) allegato ſpecimine, aliisque bene multis diametrorum pelvis

(*t*) In Egregrio *de Synchodrotomia Pubis Comment.* nuperrime Amſtel. ed. *Sect.* II. *Cap.* I.

(*u*) Conf. *diſſ. mea cit.* §. XXXIV. — XXXVI. nec non doct. MICHELL *Comm. cit. pag.* 104, *ſeqq.* ubi ab egregio Practico Dordraceno J. B. CROLLIO ſibi ſuppeditatae pelvis tradit deſcriptionem. Cf. *Tabulae.*

vis a naturali ſtatu deviationibus, loquar, inprimis liquet ex eximio, mihi nuperrime allato, oſſis ſacri cum primo coccygis & innominato dextro confluxu plenario: in quo notandum, os ſacrum ſolitam habere adultorum longitudinem, & in ſiniſtra parte, excepta cum coccyge Ancyloſi, ſatis eſſe naturale, in dextra autem quatuor, quibus gaudet, foraminum ſuperius eſſe perparvum, forma ovali, reliqua magis oblonga, adeo compreſſa, ut nervis e medulla ſpinali tendentibus ſpatium relictum fuerit perexiguum, quorum foraminum tenui margine os ſacrum illo in latere finitur, adeoque ibidem multo minorem, quam in oppoſito habuit latitudinem. Haec forſan cauſſa fuit, quare coxae dextrae os atrophicum quaſi ſit & dimidiam vix adulti magnitudinem aequet; dum ſiniſtrum, quod non coaluit, magis naturale fuiſſe videtur. Ex hac atrophica conſtitutione, etiam factum, ut diameter conjugata, (ſi recta fuerit, quod non videtur ex parte ſuperſtite concludendum,) tres ſaltem pollices non ſuperaverit, vix, credo, aequaverit, femurque pariter atrophicum fuerit.

6°. *Inceſſus difficilis.* Scilicet, ut rite incedere homo valeat, naturalis requiritur cruris, tarſi, metatarſi, digitorumque mobilitas. Ubi jam crus cum tarſo, qualia ſpecimina (*v*) attuli, aut ſimul cum metatarſo, quale exemplum etiam poſſideo, concrevit, aegrum rite incedere non poſſe, quis dubitet?

7°. Varia alia ſymptomata, pro varia parte affecta, hic brevitatis cauſſa omitto.

§. XVI.

(*v*) In *Diſſert. de Ancyloſi*, §. XLIII.

§. XVI.

Ad *Symptomata* dictorum *Symptomatum* nunc tranſiens, praecipua tantum quaedam delineabo.

I. *Convulſiones* a dolore vehementi enaſci poſſe, non eſt quod demonſtrem.

II. Per διαπήδησιν, multo magis per διαίρεσιν, *haemorrhagias* & *aneurysmata ſpuria* oriri poſſe, vel me non monente liquet.

III. *Aneurysmata* et *varices*, a vaſorum dilatatione, vel forte et ab eorundem compreſſione per ecchymoſin a diaereſi natam, naſci poſſunt. Etenim, pone locum compreſſum accumulatur contentum in canalibus liquidum, quod illas partes extendit, tumoresque generat, qui in arteriis aneurysmata, in venis varices audiunt; quod inprimis fit, ubi vaſorum tunicae diſtenſae vel laeſae debitam contentis negant reſiſtentiam. Ubi vero comprimuntur canales nervoſi, *paralyſis* adeſt.

IV. *Obſtructiones*, *inflammationes*, *earumque ſequelae*. A dilatatis enim vel compreſſis eadem de cauſſa canalibus, ſtagnat in his, vel vicinis vaſis, liquidum, eaque obſtruit; immo, accedente motu ſpaſmodico, inflammatio naſcitur. Eadem effecta a ſola vi comprimente, non enata διαπηδήσει aut διαιρέσει, enaſcuntur.

V. *Unius lateris exſuperantia* inde oritur, quod ab Ancyloſi artus, ut vidimus, vel elongatur, vel accurtatur; unde alterum latus alterum ſuperat.

VI. *Claudicatio* ab hac exſuperantia oritur; quod demonſtrare non opus cenſeo.

 VII. Ci-

VII. Ciborum *deglutitio*, *concoctio*, adeoque *digestio*, *impedita*; inde oritur, quod cibi, antequam deglutiuntur, manducari nequeant, adeoque difficulter in ventriculum propellantur, saliva etiam non rite subacti: unde porro cruditates in ventriculo, sordes in intestinis, primarum viarum infarctus, chyli vitia, hinc omnium humorum depravatio, insequuntur.

VIII. *Circulatio impedita* inprimis ex impedita respiratione nascitur, qua pulmones rite expandi nequeunt, adeoque sanguis e ventriculo cordis anteriore in posteriorem propelli negat: &, si majori gradu vexetur respiratio, aneurysmata, polypi, peripneumoniae, haemoptyses, aliaque sequuntur mala. In variis similiter aliis partibus natae Ancyloses circulationem impedire possunt, compressione vasorum majorum accumbentium, eorumque varia laesione.

IX. *Secretio impedita* a male affecta sanguinis, e quo varii secernuntur humores, circulatione oritur.

X. *Mors*, ubi variae in corpore adsunt Ancyloses, fatalem iis imponit terminum, quia variae inde laeduntur functiones; vel etiam, ubi Ancylosis vitalia afficit, v. g. thoracem, aut ex callo, a fracta columna vertebrali producto, vertebrarumque canalem obstruente & medullam comprimente, exorta est. In senibus quoque, deficiente jam musculorum, diaphragmatis inprimis, actione, respiratio & hinc circulatio languent, intermittunt, cor palpitat: donec, sanguine pulmonibus superandis impare, cordis actio tandem cessat, adeoque tacite aliquando animam efflant, & miserae vitae terminum attingunt.

§. XVII.

§. XVII.

Symptoma Naturae auxiliare constituit febris, vario nomine in Ancylosi laudanda: tum quod Ancyloseos caussas, axungiae inspissationem, accumulationem, acrimoniam, obstructiones, aliaque feliciter tollit; tum quod ipsam Ancylosin, spuriam nempe, feliciter subinde sanat. Alio etiam modo, nempe ossium extrema expoliendo, Ancylosin pro tempore praevertere Naturam, antea monui (*w*).

§. XVIII.

Ipsa denique Ancylosis aliorum aliquando morborum existit remedium. Ubi v. g. ligamenta, vel musculi debilitate laborant, Natura illud vitium, enata Ancylosi, sanat; quod post distractiones, luxationes, &c. fieri conducit. Similiter, ubi ossa luxata novum jam sibi formarunt acetabulum, in quo per ligamenta non retinentur, ut tamen musculis obediant, Natura illius acetabuli marginem (quod ex memoratis antea speciminibus patet,) protrudit, intra quem conclusa quadantenus moveri possunt ossa, absque eo, ut novae luxationis metus sit. Ita et, ubi epiphyses a corpore suorum ossium separatae cum suo concreverint acetabulo, & cum ossis corpore articulum importunum formaverint, proderit utique, si denuo cum eodem corpore coalescant. Observatum etiam est, a fracturis, ob cacochymiam aliudve vitium non coalitis, inter fragmenta no- (vum

(*w*) Vid. §. X. *N.* II. 1°. *pag.* 14.

vum quasi articulum fuisse formatum: quod docuit J. SALTZMANNUS (*x*). Similem a fractura ossium cubiti superstitem descripsit, & icone illustravit doct. SILVESTER (*y*), quod specimen asservavit DU VERNEY (*z*). Quo et referre licet, quod possideo, os innominatum, ubi ad os pubis talis novus conspicitur quasi articulus, & partes duae separatae glaberrimae ginglymi in modum antea nexae videntur, sed jam destructa cartilagine intermedia tantillum distant. Ubi jam hoc fit, Natura enata Ancylosi hoc vitium penitus exstirpare valebit.

De Symptomatibus haec dicta suffecerint: reliqua, siqua sint, facile ex dictis intelligentur.

CAPUT III.

DE ANCYLOSEOS DIAGNOSI ET PROGNOSI.

§. XIX.

Ut rite instituatur morbi curatio, prius per sua signa cognosci debet. Videamus itaque, quaenam dicti saepius mali sit Diagnosis.

§. XX.

(*x*) Vid. *Dissert. de Articulationibus analogis, quae fracturis ossium superveniunt, Argent.* 1718. Conf. PLATNERUS *l. c.* §. 1225.

(*y*) Conf. *Act. Erud. Lips. Ann.* 1685. *pag.* 513. *seqq.* & *Tab.* XIII. *Fig.* 4.

(*z*) Conf. *Traité des Malad. des Os, Tom.* I. *pag.* 328. *Ed. Belg. pag.* 280.

§. XX.

Ancylofeos Cauffae variae ex antegreffis facillime patent, tum et ex fymptomatum concurfu dignofcuntur. Praecipua modo, ad *Diagnofin Cauffarum* fpectantia, brevitatis gratia, verbo attingam.

A *Diftractione* aut *contorfione* natam effe obrigefcentiam, vulnera, haemorrhagiae, membri elongatio, mutatus fitus, tumores, articuli debilitas & inertia, fractura, luxatio aliaque denotant.

Vim comprimentem in cauffa fuiffe, e fractura, luxatione, exoftofi, obftructione, inflammatione, contufione, paralyfi, aneuryfmatibus & varicibus, inprimis dignofcimus.

Vim urentem, rodentem, fcindentem fomitem mali effe, aneuryfmata & varices, haemorrhagiae, vulnera, ulcera, inflammatio ejusque fequelae & caries, inprimis docent.

A *fmegmatis defectu* oriundam Ancylofin attritus, ftrepitus articuli ad motum, dolor, artus brevitas difcernunt: ab *abundantia ejusdem* natam tumor, initio mollis, durior deinde, membri elongatio, fluctuatio in articulo, luxatio; ab *acrimonia* fmegmatis productam ulcera, ligamentorum mufculorumque motus convulfivi, eorumdemque, nec non cartilaginum, erofio, corruptio, offium caries, atrophia aliaque cacochymiae in corpore figna, evincunt.

Quae ab *articulorum hydrope* & *fynovia nimium ferofa* producitur, ex tumore ad articulum molli, cedente, luxatione, membri elongatione, & fluctuatione majore, fatis dignofcitur.

Quae a *rhachitide*, a *paedarthrocace* nata eſt, ex praeſentis acrimoniae indiciis, temperie, aetate juniore, oſſium tumore & incurvatione, ulceribus & cachexia, inprimis cognoſcitur.

Reliqua ex praegreſſis, & propriis ſignis diagnoſticis, & collatis iis, quae de ſymptomatibus protuli, magis minusve pateſcunt.

§. XXI.

Diagnoſis ipſius Morbi per ſe, & ex data antea (*a*) definitione, patet: qua propter de hac vel minimum monere ſuperſedeo; niſi id unicum, quod *vera Ancyloſis* a *ſpuria* non facile diſtinguatur, niſi forte praegreſſae cauſſae, v. g. exoſtoſis, vel fractura in articulo, vel ei proxima, mali pertinacia, aliaque Diagnoſin reddant certiorem.

§. XXII.

Jam de Cura agendum foret. Prius tamen perpendere juvabit, quae Ancyloſis ſanabilis ſit, quae vero ſanari neget, quod docebit *Prognoſis*.

§. XXIII.

Veram Ancyloſin plane curari non poſſe, a priori plerumque liquet, ſiquidem concreta oſſa emollire & ſemovere qui valeret, magnus

(*a*) In *Diſſ. de Ancyloſi*, §. XIV. *pag.* 14.

gnus in praxi Medica foret Apollo. Hoc qui tentaret, Sisyphi saxum volveret. De hoc etenim malo valet illud Poëtae (*b*) effatum:

Principiis obsta: sero medicina paratur,
Quum mala per longas invaluere moras.

§. XXIV.

Ancylosis autem spuria non raro sanari potest, & sane aliquantum provecta sanata aliquando fuit, ut infra patebit.

Quae a *rerum non naturalium* nascitur *vitio*, saepe sanari se patitur; saepe negat, pessima inprimis, quae a diuturno spirituosorum abusu, quibus homo ante senium senescit, oritur.

Quae a *distractione* & *contorsione* oritur, non male ominatur, nisi molliores partes tonum adeo amiserint, ut restitui plane nequeant, symptomata appareant vehementia, & axungiae accumulatio aliudve vitium accedat.

A *compressione* oriunda, nisi symptomata vehementia, vel insolita, tumor, inflammatio, dolorque fuerint majores, facile tollitur.

Pessime praesagit, quae a *vi urente, rodente, scindente*, enascitur: siquidem, corruptis musculis, ligamentis, cartilaginibus, ossibus, aliisque, rara medela; licet tamen pro varia caussae intensitate & vario agendi modo differat Prognosis; & inprimis male ominentur vis rodens & urens.

Quae

(*b*) Ovidii *de Remed. amoris*, *vs.* 91. *seq.*

Quae a *Senio* nascitur, haud facile, ob solidorum rigiditatem & torporem, fluidorumque lentorem, sanatur.

Quae a *defectu linimenti Haversiani* enata est, Ancylosis, nisi defectus immedicabili vitio debeatur, melius praesagit, quam quae ab ejus *accumulatione*, *stagnatione* inprimis, oritur: quoniam hoc in casu *acrimonia* non raro accedit, qua vel totus articulus afficitur, corroditur, corrumpitur; similia patiuntur partes vicinae, dolores, convulsiones, ulcera, caries aliaque nascuntur, & acre resorptum universalem inducit corpori cacochymiam & atrophiam.

Ubi vero *nimia seri pars*, aut *nimium muci*, aut *nimiae partes salino-glutinosae*, aut *oleum deficiens* peccant, si recens est malum, non male adeo ominatur; pejus, ubi inveteratum est.

Quae nascitur, ubi *linimentum cum alio succo miscetur*, facile non curatur Ancylosis; inprimis, si succus ille acer fuerit.

Quae ab *heterogeneis in articulo contentis* nascitur, nisi haec cum eo concreverint, satis facile tolli potest.

A tela, cartilagines leviter nectente, producta facile vi externa sanatur.

A *tumore glandularum Cowperianarum* natam Ancylosin tollere difficile, si non ἀδύνατον· pro varia autem tumoris natura Prognosis variat.

Nec magnam praebent sanationis spem, quae ab *errore nutrimenti* & *unius lateris exsuperantia* enatae sunt, Ancyloses. Nullam dant, quae *labi hereditariae*, vel *morbo congenito* debentur.

Vitia partu acquisita ubi Ancylosin crearunt, aliquando sanationem admittit; quod pro varia eorum natura determinare Chirurgus debet.

Quam

Quam *musculorum ligamentorumve accurtatio* produxit, Ancylosis sanationem non facile admittit; minus tamen illa, quae *eorundem longitudini* debetur.

Quae *musculorum* vel *ligamentorum spasmum*, aut *paralysin*, pro caussa habet, ubi suo tempore advocatur Chirurgus, & ferocia absunt symptomata, tolli facile praesens Ancylosis, non autem semper malum radicitus sanari valet.

Quae a *ligamentorum debilitate* exorta est articuli obrigescentia spuria, nisi fomes mali exstirpari nequeat, & graviora accedant symptomata, facile sanatur.

Minus bene ominatur, quae a *ligamentorum rigiditate*; pessime, quae ab incipiente *chondrogenia*, vel *osteogenia* ortum ducit: quoniam dura emollire, cartilagini, vel ossi, flexibilitatem conciliare, non parvus sane labor.

Ligamentorum autem *tumor* quo validior, & magis inveteratus, eo periculosior: aliquando tamen ab eo enata Ancylosis sanari valet.

Quam *musculorum ligamentorumve disruptio* produxit, Ancylosis aliquando, ubi symptomata mala absunt, & vulnus recens est, haud ita mali est praesagii.

Ubi ex *obstructione*, vel *inflammatione*, enata est Ancylosis spuria, si recentes adhuc illae sint, nec nimis vehementes, sanationis spes superest. Sin vero inveteratae & male fuerint tractatae, raro sanabitur.

Ubi vehemens *suppuratio*, *ulcera*, *scirrhus*, aut *cancer*, *gangraena*, *sinus*, vel *fistulae* eam produxerint; difficilis, non tamen fru-

 strauea

ſtranea ſemper, erit curatio: praeſertim, ſi haec mala non inveterata ſint: ubi vero *ſphacelus* jam adeſt, nulla erit.

Quae *vulneri* debetur, quo majus vulnus, quo malignius fuerit, eo difficilius inde producta ſanatur Ancyloſis, non tamen in genere omnis ſanationis ſpes abeſt. Nullam autem, aut raram ſaltem, ſanationem admittunt, quae a vulneribus ſclopetariis, vel et venenatis, ortae ſunt, Ancyloſes.

Quae a *contuſione* oritur, ſi haec ſimplex, ſi recens eſt, nec vehemens, quaedam affulget ſanationis ſpes. Ubi autem compoſita, ubi inveteterata aut vehementioribus ſtipata eſt ſymptomatibus, ſpes, ſi non penitus, attamen praecipue in fumum evanuit.

Male ominari eam, quae ab *ichore*, *meliceria*, vel *hydrarthro* nata eſt, ex dictis, & ob acrimoniam & dira ſymptomata non raro comitantia, quis dubitet?

Quam *arthritis* induxit, articuli immobilitas, tolli quidem saepiſſime, raro autem radicitus exſtirpari, poteſt.

Mali ominis eſt, quae a *ſcorbuto*; peſſimi, quae a *lue Venerea* inducitur; ob inſignem, quae illos morbos comitatur, humorum acrimoniam, tam ſolida, quam fluida, inficientem.

Quae ab *atrophia* oritur, in initio atrophiae curam admittit, provectiore eadem ob humorum acrimoniam, ſolidorumque corruptionem, negat.

Quae a *rhachitide* oritur, ob infauſta ſymptomata, cacochymiam, & oſſa nondum evoluta, facile invicem concreſcentia, mali praeſagii eſt. Ab altera autem parte aetas junior multum ad ſanationem juvat.

Quae

Quae a recenti admodum *gibbositate* enascitur, non adeo male ominatur Ancylosis; licet plerumque sit periculosa: pejus inveterata. Mala est *cyphosis*, pejor *scoliosis*, pessima *lordosis:* quae facile ex dictis patent.

Ab *exostosi* enata, quo haec articulo vicinior, quo magis inveterata, quo durior fuerit, quo vehementioribus stipetur symptomatibus, eo pejor: sanari rarissime valet.

Quae a *tumore fungoso*, aut *claudicatione*, enascitur, raro, si unquam, sanatur Ancylosis.

Quae a *carie*, a *spina ventosa*, ortum habet, ob axungiae acrimoniam, totius corporis cachexiam, & symptomata diriora comitantia, pessime ominatur.

Quae ex *luxatione non reducta* enata est Ancylosis, ni jam inveterata, & multis, iisque vehementioribus, fuerit stipata symptomatibus, & a caussa insanabili nata sit, facile sanatur. Ubi vero *luxatio incompleta* simul & *non reducta* fuerit, male ominatur (*c*).

Remanens a *male reducta luxatione* Ancylosis pessime praesagit.

Quae a *reducta bene luxatione* originem trahit, pro variis accidentibus vario ominatur modo. Mali ominis est, si contusioni, distractioni validiori; pessimi, si ligamentorum dilacerationi plenariae debeatur; varii pro vario mali gradu. Utplurimum satis boni est, si inflammatio, a tentaminibus ad reducendam luxationem institutis, Ancylosin produxerit.

Quae

(*c*) Vid. EVERS, in RICHTER's *Heelk. Boekzaal*, *l. c. pag.* 103. *seqq.*

Quae a *fractura* oritur, quo haec ſimplicior, quo ab articulo remotior, quo melius reducta, quo minus perfectus callus, quo pauciora, quo mitiora fuerint ſymptomata, eo major ſpes. Ubi contraria adſunt, male ominatur.

Quae a caeteris cauſſis dictis producitur, Ancyloſis nunc ſanari poteſt, nunc vero minus. Id in genere tenendum, quo magis inveteratum malum, quo pluribus, quo vehementioribus ſtipatum fuerit ſymptomatibus, eo pejus, eo funeſtius.

C A P U T IV.

DE ANCYLOSEOS CURA.

§. XXV.

Quaenam Ancyloſeos ſpecies ſanationem, quaenam minus admittant, per Prognoſin edocti, jam in remedia, Ancyloſin ſanantia vel levantia, inquiramus.

§. XXVI.

Tres generatim perficiendae ad Ancyloſes Curationem Chirurgo incumbunt indicationes. Debet enim 1°. mali fomitem, ſi poſſit, tollere; 2°. ipſam praeternaturalem rigiditatem auferre; 3°. ſymptomata depellere, ſaltem mitigare.

§. XXVII.

§. XXVII.

Has tres indicationes in vera Ancylosi exsequi non licet. In ea enim morbi sanationem inchoare, ut egregie monuit W. H. MULLERUS (*d*), est cum Danaïdibus dolia replere. Nec quempiam unquam ejus sanationem cum successu aggressum fuisse, uspiam memoratur. Solus VERDUC, Chirurgus Parisiensis, hanc se sanasse, scripsit: credendum autem, (quod ibidem monet MULLERUS,) eam non veram fuisse Ancylosin, sed potius contracturam & rigiditatem tendinum, & musculorum, pro sua causa habuisse, adeoque spuriam fuisse. Vel, an existimabimus, ossa Ancylosi confluentia dein ferro diffringi posse? Quale quid a rustico Medico, dicam an? temerario Medicastro & Artis dedecore, sanationem a se procurandam jactante, aliquando tentatum fuisse, studiorum in Academia socius mihi retulit; sed eo cum successu, ut aeger, variis discruciattus torminibus, ad plures properaverit.

Dum autem ad Curationem morbi cura palliativa etiam referri potest, haec nonnunquam in stitui debet. Quomodo vero huic satisfiat, ex Ancyloseos spuriae palliativa, satis ni fallor, fiet manifestum.

§. XXVIII.

(*d*) In *Differt. de Ancylosi*, *pag.* 13. Conf. HALLERI *Differt. Chir. Vol.* IV. *pag.* 547.

§. XXVIII.

De Ancylosi ergo spuria videamus, & de quaque specie singulatim agamus. Facile autem, ad sanandam Ancylosin, ut vult PAULUS AEGINETA (*e*), non semper emollientia & laxantia requiri, sed subinde plane opposita convenire remedia, e Cura speciali, ad quam propero, patebit.

Quae a *vi distrahente* originem traxit, Ancylosis, sublata caussa, remediis corroborantibus, (v. g. frictionibus, sive siccis, vel sola manu factis, vel linteis calidis, vel cum succini, mastiches, olibani, &c. fumo, pannis excepto; sive humidis, cum spiritu vini camphorato, spiritu matricali similibusque, factis; aut balneis frigidis,) instituenda est sanatio, & membrum sensim magis magisque, ubi dolor minor est, sed lente, est flectendum & movendum. Notandum autem, ubi hoc in capite de motu loquor, non perinde esse, qualis motus instituatur. Ginglymus enim nullum motum, nisi extensorium & flexorium, enarthrosis autem & arthrodia etiam rotatorium admittunt (*f*). Motus utique articulo debet esse consentaneus.

Ubi a *vi comprimente*, *contorquente*, *urente*, *rodente*, *scindente*, enata est obrigescentia, haec tollenda sunt; dolor mitigandus, vel tollendus per anodyna & emollientia mucilaginosa: dum inflammationi per largam venae sectionem, reliquisque symptomatibus pro

sua

(*e*) Vid. *Lib.* IV. *Cap.* 55.

(*f*) Vid. *Dissert. mea de Ancylosi*, §. IV. *pag.* 5. *seq.*

sua indole occurrit Chirurgus. Regimen porro strictius, diaeta euchyma, eupepta, attenuans, aër moderate calidus, medicamenta resolventia, motusque lentus, prudenter institutus, aliquoties, bis terve de die, repetitus, multum conducunt.

Sin autem a *smegmatis articularis defectu* obriguerit articulus, regimen strictius, diluens, diaeta euchyma, eupepta, plurimum conducunt. Nec thermae & stillicidia, de quibus mox plura, adhibuisse poenitebit. Immo vero unguento nervino & vapore aquae calidae dictam aegram sanavit J. VAN WYCK (*g*). Varia autem pro varia defectus caussa pergendum esse ratione, intelligunt omnes.

Ubi autem ab *ejusdem accumulatione*, vel *inspissatione* enascitur, frigidae affusionem plurimum proficere, censuit HIPPOCRATES (*h*): quod an multum prosit, merito dubitat SWIETENIUS (*i*), ex eo forte prodesse, censens, quod illa frigida partes contrahat, sicque humorem repellat. Ubi vero malum altiores egit radices, parum emolumenti inde exspectandum videtur. Prosunt autem hoc in casu multum venae sectiones, inprimis si dolor magnus est, juscula & decocta aperientia, diluentia, strictum vitae regimen, cataplasmata emollientia, resolventia, & discutientia: v. g. cataplasma ex fuligine, cum furfuribus & urina, paratum, quale in arthriticis tumoribus & hinc nata Ancylosi laudat DU VER-

NEY

(*g*) Vid. REIMARUS, *l. c.*
(*h*) Vid. *Aphor. Sect.* V. *Aphor.* 25.
(*i*) Vid. *Comment. in* BOERH. *Aphor.* 556. *pag.* 950. *seq.*

NEY (*k*), &c. Similia valebunt emplaſtra; v. g. Oxycroceum, de Galbano crocato, de Ammoniaco; cui adjiciantur diaphoreticum Mynſichti, & oleum tartari foetidum, oleum lumbricorum, petroleum, ſpiritus cornu cervi, & ſimilia penetrantia remedia & reſolventia: nec non epithemata ex muria, vel ſalſugine, qua haleces conditae ſunt, & cum qua herba Sabinae, Rutae, &c. coquantur, addito aceto, vitriolo & alumine (*l*). Emplaſtrum Tachenii, & linimentum ex ſpiritu vini, ſapone, ſale Ammoniaco & Camphora, laudat DU VERNEY (*m*). Quae omnia, quo major eſt durities, eo magis requiruntur. Conveniunt & frictiones per lintea calida, balnea, thermae, inprimis Aquiſgranenſes et Rehburgenſes, limoſae Sanct-Amandenſes, nec non Burboniae & Baregianae, quas maxime laudat PETIT (*n*): quarum aquae pro potu aſſumantur, vel in quas aegri deſident, vel ex quibus etiam in membrum morboſum dirigitur ex alto ſtillicidium, quod Galli *La Douche* (*o*) dicunt. Poſſunt quoque naturalibus balnea artificialia & ſtillicidia ſubſtitui, quae ex ſimilis naturae ingredientibus componi debent; quod cum ſuceſſu fecit LEDRAN (*p*), Prodeſt etiam ſolutio ſalis Ammoniaci, cum aqua calcis mixta & in membrum ex alto demiſſa, quo ſtillicidio feliciter uſus fuit PETIT (*q*).

Salem

(*k*) Vid. *l. c. Tom.* II. *pag.* 400. *Ed. Belg. pag.* 339.

(*l*) Vid. PLATNERI *Inſt. Chirurg. Rat.* §. 1217.

(*m*) *l. c. pag.* 399, 400. *Ed. Belg. pag.* 338, *ſeq.*

(*n*) Vid. *l. c. Tom.* I. *pag.* 320 *ſeq.*

(*o*) Quod vocabulum ab Italis translatum videtur, quibus *La Doccia* idem ſignificat. Vid. PLATNERUS, *Op. Tom.* II. *pag.* 224. qui et alia nomina recenſuit.

(*p*) Vid. *Obſervations de Chirurgie, Tom.* II. *obſ.* 93, 94.

(*q*) Vid. *l. c. pag.* 328, 329.

Salem etiam Ammoniacum aqua dilutum pro ſtillicidio adhibere utile, eſt; quod remedium egregio cum ſucceſſu contra ligamentorum debilitatem in uſum vocavit PLATNERUS (r) in juvene, qui, quum ſe in palaeſtra ſaliendo exerceret, vim intulerat juncturae, quae inter femur atque tibiam eſt, quaeque patella tegitur, (per quam periphraſin absque dubio ligamenta, quae cruciata dicuntur, deſignat:) adeo ut brevi poſt nec tibiae inniti, nec, tardioribus etiam paſſibus, ſolus incedere poſſet. Fruſtra datis per aliquot hedomadas antiphlogiſticis, conſultus tandem PLATNERUS, nequicquam adhibita faſcia, & fomentis diſcutientibus, ad ſtillicidium, a multis antea laudibus elatum, explorandum devenit, atque ſale Ammoniaco aqua diluto, ex alto depluente, membrum irrigavit, juſſitque, ut poſt irrigationem validior adhiberetur fricatio, membrumque pertractaretur, eo cum ſucceſſu, ut poſt paucos dies nullo baculo fultum egredientem viderit aegrum (s). Egregiam etiam juvenis Ancyloſi ſpuria a ſpasmo, ſed pro vera habita, ad genu laborantis, dolorifica admodum, mox amputationem ſubituri, a ſe autem ope thermarum & ſtillicidiorum, ex oleo lumbricorum & hyperici āā pt., (quae & hic conveniunt,) ſanati, hiſtoriam retulit MALOET (t). Talia ſtillicidia commode ex-

(r) Vid. *Oper. Tom.* II. *pag.* 229, 230.

(s) Haec ſtillicidia aliquando inuſitata fuiſſe, cum, quod eorum utilitas non perſpiceretur; tum, quod parandi modus ignoraretur, unde fruſtraneum ſaepe, aut nullum darent effectum, vid. *Comm. Litt. Norimb. A.* 1732. *Hebd.* 25. *pag.* 199.

(t) Vid. *Memoires de l'Acad. R. des Scienc. A.* 1728. *pag.* 283. *ſeqq.* & *Comm. Litt. Norimb. A.* 1732. *Hebd.* 53. *pag.* 422. Conf. *Prix de l'Acad. R. de Chir. Vol.* II. *pag.* 81.

ex aqua calida, vel solutione salis Ammoniaci, &c. per longum tubum ad articulum rigidum determinatis, fieri poterunt. Non juvantibus satis stillicidiis, dolore multum imminuto, demum fomenta ex vino aromatico saepius iterata commendat PETIT (*u*). Praeter laudata remedia commendatur et aliud, ut nempe vesiculis calida plenis laborans articulus per aliquod tempus tegatur; quo fit, ut totum corpus, & praesertim affecta pars leniter insudet, &, qui intus confluxerit, humor discutiatur: quod remedium post adhibita stillicidia egregio cum successu adhibuit LEDRAN (*v*). Commendatur quoque a DU VERNEY (*w*), ut obrigescens pars in vivi, vel recens mactati animalis, abdomen vel tracheam immittatur, & dein linteo, spiritu vini calido, &c. imbuto, tegatur; vel ut cute calida detracta recens mactati animalis involvatur, vel sanguini recenter misso immittatur, sicque per naturalem talis animalis vaporem, qui balnei quasi vices sustineat, foveatur. Verum quidem est, rarius prima & unica vice juvare hoc remedium, repetitis tamen multum id prodesse posse, vi solvente, & emolliente, crediderim. Ubi vero valida adeo est ea accumulatio, ut his obedire prorsus neget, acu cannulata, vel lanceola pertundenda est capsula articularis, & prudenter manu versus aperturam comprimenda est, ut exeat illa synovia: cavendum autem, ne hac perpertusione reliqua laedantur ligamenta interiora & aponeuroses. Finita

(*u*) Vid. *l. c. pag.* 320.

(*v*) Vid. *l. c.* & BAUDRY *Traité des Eaux minerales de Bourbonne à Dyon*, 1736; quem tractatum citat PLATNERUS *l. c. pag.* 229, ipsi videre mihi non contigit.

(*w*) Vid. *l. c. pag.* 384. *seq.* *Ed. Belg. pag.* 325. *seq.*

nita hac operatione, haud pariter inane est per plagam immittere liquorem quemdam balsamicum, aliumve, indoli causae morbosae hujus mali accommodatum, calidum: v. g. decoctum, vel infusum agrimoniae, scordii, aut similium, vel aqua vulneraria prudentur injiciatur, ut diluatur linimentum & discutiatur. Hoc facto, quando sic omne expulsum est smegma, plumaceola, balsamo leniente, e. g. Arcaei, aut oleo quodam blando imbuta, articuli cavum oblinatur, & tegatur emplastro defensivo aut glutinante. Motus etiam prudenter tentandus est. Ubi *purulentum* est *smegma*, vel *crassius*, ita ut per foramen cannula factum exire nequeat, duae magnae ad latus interiorum ligamentorum faciendae sunt incisiones, vulnusque eodem tractandum modo. Cavendum autem, ne, sanato vulnere, rigescant nimis, aut ita flaccescant ligamenta, ut inde luxatio sequatur. Cavendum pariter, ne ossa diutius aëri exposita exfoliationem subeant; quo in casu injectiones ex oleo ligni Guajaci, cicurato sp. vini Camphorati q. s., vel ex pulv. Myrrhae, Euphorbii & Aloës, vino albo incoctis, laudat DU VERNEY (*x*). Ubi *axungia* nimis *serosa* est, aliove miscetur succo, eodem tractanda modo est. De hoc autem infra, ubi de hydrarthro agam, plura.

Ubi *acrimoniam* contraxit, involventia & diluentia non nocebunt; sed forsan non proderunt magis, quam alia acrimoniae opposita remedia.

Ubi *corpora heterogenea* in articulo delitescentia Ancylosi produ-

cen-

(*x*) Vid. *l. c. pag.* 397. *Ed. Belg. pag.* 336. *seq.*

cendae suam contulerunt symbolam, emollientia, discutientia aliaque dicta remedia externa adhibenda sunt; quibus nil proficientibus ad sectionem deveniendum est, qua feliciter aliquando talia corpora tolluntur. Facta sectione, dicto antea modo pergendum. De corpore cartilagineo, magnitudine majoris digiti articulum aequante, vestigia ossis exhibente, per sectionem e genu sublato, legi meretur PECHLINUS (y).

In *ligamentorum musculorumque accurtatione*, nec non *constrictione*, ad Ancylosin contribuentibus, multum emollientia, resolventia, thermae, stillicidia (z), & antispasmodica interne assumta: in *elongatione* multum adstringentia, roborantia, fomenta, cataplasmata, fasciae, & balnea frigida profutura videntur.

Ubi *a ligamentorum musculorumve debilitate* producta est Ancylosis, articulum fascia paullo adstrictiori, cochleae in modum circumacta, deligare plurimum conducit; quod remedium saepe illas partes contrahit firmatque. Ubi haec deligatio scopo non satisfacit, ad thermas, & stillicidia deveniendum est (a). Addantur fomenta, unguenta roborantia, v. g. unguentum Martiatum, nervinum. &c. frictiones, & articuli exercitatio.

Enatam a *ligamentorum rigiditate*, & *duritie*, Ancylosin epithemata diluentia, cataplasmata emollientia & rosolventia, medicamenta anodyna, frictiones, stillicidia, inprimis ex sale Ammoniaco, balnea, thermae, fomenta tepida, non tamen plane intermisso prudenti motu, saepe mitigant, subinde tollunt.

Quam

(y) Vid. *Obs. Phys. Med. Lib.* II. *Obs.* 58. *pag.* 306. *seq.*
(z) Vid. *Memoires de l'Acad. R. des sciens. l. c.*
(a) Conf. PLATNERUS *l. c.*

Quam *eorundem tumor* induxit, rigiditas emollientia, resolventia, thermas, stillicidia, caustica, ferrum, aliaque tumori destruendo apta, varia pro varia tumoris indole, poscit remedia. Utinam nobis fungi ligamentorum curam, experientia firmatam, ut promisit (*b*), tradidisset doct. REIMARUS!

Ubi *disrupta* fuerunt ligamenta, emplastrum ex gummi Ammoniaco cum successu adhibuit O. J. EVERS (*c*). Quapropter et, ubi vulnus artificiale ad evacuandum smegma fuit inflictum, tale emplastrum conducere, crediderim.

Quando a *vulneribus* producitur rigor; ut sanetur, aliena omnia sunt eximenda, & eo dein, quo in aliis vulneribus Chirurgi solent, modo pergendum.

Ichori, meliceriae, hydropi articulorum ea, qua synoviam evacuandam, tollendam dixi, methodo est occurrendum, quibus et modicus accedat hydragogorum usus, aliaque, quae cacochymiam tollere valent.

Quae suum *rheumatismo* ortum debet, Ancylosis an, irritis omnibus aliis remediis, emphysemate, in illo morbo laudato, per inflictum integumentis vulnus, sanari potest? (*d*). Hujus utilitatem nondum perspicio. Videndum, quid doceat usus; dum, experientia in Europa comprobatum hactenus fuisse, nondum novi. Equidem, ni indubitatis & frequentibus confirmetur effectibus, nunquam arriperem: certe alia absque vul-

(*b*) Vid. *Differt. pag.* 52.
(*c*) Vid. RICHTER's *Heelk. Boekzaal.* VI. *deel.* 1 *stuk. pag.* 103. *seqq.*
(*d*) Vid. quae, de Emphysematis in rheumatismo usu, habet D. H. GALLANDAT, in *Verhand. der Holl. Maatsch.* VI. *Deel.* 2 *stuk. pag.* 676. *seqq.*

vulnere adhibenda praeferrem; veluti memoratum jam ſuperius emplaſtrum ex gummi Ammoniaco, cui magis ob vim reſolventem egregiam, uti et frictionibus, thermis, ſtillicidiis, &c. fido.

In Ancyloſi ab *arthritide* nata, praeter nota antarthritica & memorata varia emollientia & reſolventia, nonnulla alia laudat DU VERNEY (*e*); radicitus autem raro ſanari, non eſt quod moneam.

Quae *tumoribus ſcrophuloſis, ſcorbuto, lui Venereae*, aliisve conſimilibus malis debetur, debellato fomite, ſi thermis & ſtillicidiis non obediat, membri amputationem exigit (*f*).

Ubi *exoſtoſi* ſuos debet natales, hanc tollere aliquando conducit. Quem in finem cauterium aliquando multum valet: vel tumor oſſeus ſtyli perforatorii ope, coronae trepani adaptati, plurimis pertundatur foraminibus, non valde a ſe mutuo diſtantibus, & interſtitia forcipis, vel, ne fiſſura oriatur (*g*), potius cunei, malleo plumbeo adacti, ope, deſtruantur, tuncque, ad ſubitaneam obtinendam exfoliationem, ſolutio Mercurii in aqua forti, aut ſimilia, adhibeantur (*h*). Quae dicta inſtrumenta deſcripſit delineavitque GARENGEOT (*i*). Si vero exoſtoſis ab intemperie quadam, ſeu vitio interno, nata eſt; haec ſuo prius modo tractanda, antequam ipſam exoſtoſin tollere tentet Chirurgus.

Si

(*e*) *l. c. pag.* 398. *ſeqq. Ed. Belg.* 338. *ſeq.*

(*f*) Vid. *Prix de l'Acad. de Chirurg. Tom.* III. *pag.* 333.

(*g*) Vid. SWIETENII *Comment. in Aph.* BOERH. §. 465. *Tom.* I. *pag.* 806. *ſeq.*

(*h*) Vid. PETIT *Traité des Maladies des Os, Tom.* II. *pag.* 393. *ſeq.*

(*i*) Vid. *Verhand. over de Inſtrum. der Chirurgie,* II. *Deel. pag.* 64. *ſeqq.* & 151—154. *cum adjectis tabulis.*

Si a quacunque *offium corruptione*, aut *carie* enatam Practicus videt Ancylofin: eam prius per remedia humores corrigentia, amara, Artemifiam, Abrotanum, Abfynthium, aggrediatur, & ubi caries adeft, exfoliationem tentet per ficcos pulveres infperfos, v. g. ex olibano, thure, mafticha, myrrha, iisdemve vino albo incoctis, aliisve antea dictis, vel et per liquorem BELLOSTII, ex Mercurio, fpiritu nitri foluto, & aqua plantaginis diluto, factum. Iisdem hifce, nec non effentia fuccini & myrrhae, lapide infernali, aqua phagedaenica, aliisque, quae tradit HEISTERUS (*k*), fungos offium tollat. Aut actuale cauterium, vel rafpatorium (*l*), ad tollendam partem corruptam, novamque vi emergentium vaforum retexendam partem offeam periofteumque, in tempore adhibeat Chirurgus, oportet. Cavendum autem, ne nova fubftantia offea articuli manticulas, vel reliqua ligamenta obducat; cui inprimis frequenti, fed leni, motu profpicimus. Irritis omnibus, unicum in amputatione folatium eft. In ultimis ultima tentanda. Notandum tamen, in dictis cafibus Naturae vires per corticem Peruvianum, rubrum inprimis, vulgari longe certiorem & efficaciorem, fuftentandas effe.

Ubi a *luxatione non reducta* enatam videmus Ancylen, larga venae fectio, regimen antiphlogifticum, diluentia, etiamfi abfit inflammatio, nec non remedia topica, quibus dolori, inflammationi, &

(*k*) In *Inft. Chirurg. Tom.* I. *Lib.* 5. *Cap.* 4. & 8. *pag.* 417. *feq.* & 429. *Ed. Belg.*

(*l*) Conf. GARENGEOT *l. c. pag.* 62. *feqq.* & 148 — 151. *cum additis iconibus & Tabula ad pag.* 67. *adjecta.*

& tumori eamus obviam, indicantur: quibus adhibitis, motus inprimis frequenter, sed prudenter, sensim sensimque tentandus est. Neque reductio negligenda est: quae tamen semper non ita facile fit; quo in casu stillicidiis, balneis, thermisque utendum, quas expertus laudat PETIT (*m*).

Quoties *male reductae luxationi* hoc malum supervenit, corrigenda reductio, & Ancylosis eodem, quo in praecedenti casu dictum, tractanda modo. Rarissime autem hoc vitium corrigi se patitur; saepe etiam correctionem tentare non licet, & nil saepe, nisi sola cura palliativa, superest.

Si *bene reductae* Ancylosis supervenit *luxationi*, saepe mederi valemus larga venae sectione, regimine stricto, medicamentis anodynis, diluentibus, resolventibus, aut et roborantibus, motuque prudenter instituto.

Ubi luxationem manticulae fractura comitatur, emplastrum ex gummi Ammoniaco in aceto soluto commendat O. J. EVERS (*n*), ut supra monui.

Quando autem valida luxationem comitatur inflammatio, hanc in genere prius tollere conducit, quam luxationis curam aggredi: quia graviora ab illa, quam ex hac ipsa, sunt pertimescenda mala. Exasperata enim a reducendi tentaminibus inflammatione, totius affectae partis mors; a luxatione, praeter motum impeditum, alia mala symptomata non adeo metuenda sunt.

Ubi

(*m*) *l. c.* Tom. I. *pag.* 324. *seqq.*
(*n*) Vid. RICHTER *l. c.*

Ubi vero luxationem recens fractura prope articulum comitatur, haec prius reponenda est; quia eo in casu os satis extendi nequit (o). Dum interim, ut articulo inductae rigiditati eamus obviam, eam, quantum valemus, aquosis calidis & oleosis applicatis epithematibus, moderamur, ut, curata demum fractura, reducatur luxatio. Sero autem saepe in his sapimus Phryges, & rarissime utrumque vitium, absque remanente Ancylosi vera, penitus sanatur.

Ubi *fracturae* suum ortum debet Ancylosis, articulus sensim magis magisque, sed lente movendus est, & eo quidem tempore, quo dolor remittit; qua re impeditur, quo minus callus inter ossa effundatur, vel iisdem circumfundatur, aut jam effundi incipiens Ancylosin veram producat. Solo hoc motu Ancylosin spuriam a fracta rotula sanavit, veramque antevertit PETIT (p). Fracto autem primum osse, praecavetur Ancylosis, vel sanatur, ponendo membrum in tali situ, ut materies callosa ab articulo deducatur; inter fracturae locum & articulum splenia, fasciis leniter pressa, ponendo, quo calli effusio intra, vel circa articulum impeditur. Calli autem abundantiam, quae in junioribus facillime fit, praecavere vix melius possumus, quam victu parcissimo, & vix majorem, quam ad sustentandam vitam requiritur, copiam concedendo: deinde articulum prudenter movendo, quoties tollitur apparatus.

Ubi autem callus in articulo, vel circa eundem effusus, & recens est;

(o) Vid. PLATNERI *Inst. Chir. Rat.* §. 1119.
(p) Vid. *l. c. Tom.* I. *pag.* 321. *seq.*

est; tentato saepius leni articuli motu, applicatisque medicamentis emollientibus, discutientibus, resolventibusque, non raro Ancylosis praecaveri, vel et sanari potest. Semper tamen quid impedimenti restat, nec raro claudicatio tristem mali praeber ἀνάμνησιν.

In reliquis, quae sanari possunt, Ancyloseos speciebus, omnibus caussis suo occurritur modo: id est, uno verbo, *contraria*, ut dixit HIPPOCRATES (*q*), *curantur contrariis*; quae omnia recensere vetat, quam mihi proposui, brevitas. Notandum autem, quod in omni Ancyloseos cura motus accedere debeat.

Duo adhuc contra Ancylosin in genere laudata remedia memoranda supersunt, 1°. Glandes contra Ancylosin commendavit clar. Fr. J. G. SCHROEDERUS (*r*), iisque resolventem, roborantem & penetrantem vim attribuit. Certe fieri potest, quod etiam verosimile, ut glandes ob vim roborantem non plane nullius sint usus: ab altera autem parte, vi potius adstringente, quam resolvente, tum et, ob nimiam glutinis copiam, multum nocere posse glandium usum, vix dubito 2°. Communicavit mecum amicus Medicus observationem, sibi, ut testatur, a peritissimo Practico traditam; qua aëris fixi tam insignis apparuerit efficacia, ut artuum rigiditatem cum immobilitate junctam, nequicquam aliis adhibitis remediis, sanaverit plenarie. Forsan autem hoc remedium non in Ancylosi plenaria, sed in mino-

re

(*q*) *Sect.* II. *Aph.* 22.

(*r*) *In Epistola ad clar.* BALDINGERUM. Vid. *Comm. de reb. &c. vol.* XX. *part.* 4. *pag.* 636. *seq.*

re rigiditatis gradu adhibitum est: saltem tantam ejus vim nondum perspicio.

§. XXIX.

In iis autem, quae sanari negant, Ancyloseos speciebus, nil, nisi palliativa cura, superest; quae noxas ab Ancylosi oriundas praecaveat, eamque aegro tolerabiliorem reddat. Hanc peragunt anodyna, antispasmodica, venae sectiones largae, laxantia, emollientia, & resolventia, aliaque pro re nata, regimen strictius, diaeta euchyma, eupepta, ex lacte, maxime ejus sero, lacte ebutyrato, aqua, ptisana, jusculis tenuioribus, carne pulli, vitulina, hordeo, milio, oryza, rad. scorsonerae, lactuca, pane biscocto, fructibus horaeis, cerevisia tenui. Cavendum a causticis. In genere medicamenta diluentia, emollientia, resolventia, antiphlogistica, antispasmodica conveniunt.

Notandum autem, quod, ubi ferri valet malum, saepe spectatorem agere oporteat Medicum. Ubi v. g. a scirrho, vel exostosi benigniore, &c. producta fuerit Ancylosis, ne medicamentis non tantum non sanetur, verum exacerbetur morbus, immo ipsa mors sequatur (s). Cavendum autem, ne naturam turbemus in salutari suo scopo, de quo §. XVII. actum est.

§. XXX.

(s) Vid. PETIT, *l. c. Tom.* II. *pag.* 375.

§. XXX.

Interdum fit, ut Ancylosis quaedam jam produxerit symptomata, quorum fugationem requirit plenaria Ancyloseos sanatio. Quare et huic scopo intentus sit Medicus, oportet, ut symptomata a diro hoc morbo producta pellat, vel, si hoc non valeat, mitiget. Hoc sane per ipsius morbi curationem optime efficietur. Alias autem quomodo huic satisfiat scopo, enarrare si vellem, initium facile foret, finem aegre attingerem, & hic tractatus arctos dissertationis academicae excederet limites, & in volumen excresceret. Id in genere denuo, secundum dictam HIPPOCRATIS regulam, qua toties Medici in aliis utuntur morbis, notandum, *contraria curari contrariis*.

§. XXXI.

Hanc itaque, B. L., Ancyloseos Historiam, quantum valui, breviter & evitata prolixitate molesta, exposui. Scopus quidem mihi fuerat metatarsi totius sinistri, quem alibi (*t*) descripsi, in unum os confluxus; atlantum cum craniis; magnae gibbosi trunci partis §. XI. N°. XIX. 3°. *pag.* 34. *seq.* dictae, coalitus; Ancyloseos cruris cum parte tarsi & metatarsi, aliorumque, quae nuperrime mihi comparavi, speciminum adjicere icones: ob angustiam autem temporis, qua nunc premi me sentio, hisce acquiesco, illas data opportunitate cum adjecta descriptione editurus. Plura de Ancylosi siquis desideret, praeter Chirurgicae artis

(t) Vid. *Diss. Acad. de Ancylosi, in Mantiss. N. 3°. pag. 56.*

artis Scriptores, conferantur clar. A. E. BUCHNERI *Dissertatio de Ancylosi*, *Erfurt.* 1743. quam tamen in meas manus non pervenisse, quam maxime doleo. CONNOR, *de Stupendo Ossium coalitu*, *Oxon.* 1695. PETIT *Traité des Maladies des Os*, *Tom.* I. *pag.* 285. *seqq.* DU VERNEY *Traité des maladies des Os*, *Tom.* II. *pag.* 350. *seqq.* Ed. Belg. *pag.* 296. *seqq.* W. H. MULLERI *Differt. de Ancylosi*, quae exstat in HALLERI *Differt. Chirurg. vol.* IV. *pag.* 539. *seqq.* O. J. EVERSII Observationes de *Ancylosi*, quae prostant in egregio Diario Chirurgico, Germanice ed., *Chirurgische Bibliotheck dicto*, clar. Professoris Gotting. A. G. RICHTER, quae nunc etiam Belgice prodit, titulo *Heelkundige Boekzaal*; ubi vide VI. *Deel.* I *Stuk. pag.* 103. *seqq.*

Quae jam huic opusculo meo deesse videantur, ea propenso animo, B. L., suppleas, enixe rogo: sin vero juvenilia conamina Tibi placeant, & rem meam evicerim, erit quod mihi gratuler.

F I N I S.

Pag. 23 reg. 16. praedispositioni. *lege* occasioni. *Pag.* 34. reg. I. cervice, *lege* cranio.

THE-

THESES.

I.

Frequentior, quam vulgo putatur, insanabilis surditatis caussa est ossium auditus Ancylosis.

II.

Ossium Pubis Ancylosis validissimum contra synchondrotomiam pubis praebet argumentum.

III.

Ancylosin veram sanare qui tentant, Aethiopem lavant.

IV.

Si luxationi fractura prope articulum accedat, hanc illa prius curandam esse, contendo.

V.

Male clar. VOGELIUS (*a*) *cortici Peruviano infimum inter febrifuga dat locum.*

VI.

Minus recte IDEM (*b*) *febricitantibus cibos salitos & muria conditos salutares perhibere videtur.*

VII.

Nec majori jure (*c*), *in obstructis glandulis circulationem non plane esse interceptam, sed lentiorem tantum, statuit.*

VIII.

Quum vasa lymphatica sanguiferis robustiores habeant tunicas; illis in obstructione majus, quam his, imminere rupturae periculum, immerito asserere videtur ill. SWIETENIUS (*d*).

IX.

Licet, quomodo lumbrici, Humano generi perquam infesti, nostrum corpus ingrediantur, explicatio multis prematur dubiis; optima tamen videtur, qua eos, sive forma ovulorum, seu animalculorum minimorum, C. H. ingressos, ibidemque conditiones suae exclusioni, vel incremento faventes, nactos, in solitam excrescere statuunt magnitudinem.

X.

In mortis suspensorum caussis interceptae respirationi primarius locus dandus.

(*a*) In *Praelect. Acad. de Cogn. & Cur. Praecip. C. H. Affect.* §. 23.
(*b*) *Ibid.* §. 27.
(*c*) *Vid.* §. 339.
(*d*) In *Comm. ad Aph.* BOERH. §. 120. *Tom.* I. *pag.* 183. *seq.*

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

SANGUINIS MISSIONE IN APOPLEXIA AB INTERNIS CAUSIS ORIUNDA.

Dr: Skeete
wth best Compts
from the Author